UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK TÜBINGEN

GESCHENK


der Deutschen Forschungsgemeinschaft

.....

N12<516708003 021 bvsd-

ubTÜBINGEN

W. STÜMPFLE
Neuffen/Württ.



Acta et Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Praemonstratensis

ed. : J. B. VALVEKENS, O. Praem.

I. 1

Analecta Praemonstratensia, XLII, 1966, sqq.

ABBATIA AVERBODIENSIS

7 A 246

UNIV. BIBL. TÜBINGEN

7 A 246

Introductio

1. Notio

Ordo quidam religiosus exsistere et subsistere nequit absque Superioribus varii generis, et proinde, varia iurisdictione dotatis. Porro, testantibus Statutis Ordinis anni 1947 [1]) : « Suprema auctoritas in Ordine residet penes Capitulum Generale, instructum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva, ad normam sacrorum Canonum et Statutorum exercenda ». Capitula Generalia proinde considerari possunt veluti senatus supremus Ordinis, in cuius conventu quaestiones maioris momenti exurgentes collegialiter examini accurato subiciuntur et determinantur.

Statuta antiquissima Ordinis nota iam agunt de Capitulo Generali. Haec de « annuo colloquio » sequentia referunt, in cap. 26 et 27 : « Iterum statutum est quod semel in anno gratia sese visitandi, ordinis reparandi, confirmande pacis, conservande karitatis, abbates omnes ad colloquium pariter conveniant in loco competenti quem communi consilio providerint, ubi in sinistris corrigendis domno abbati Premonstrate ecclesie que mater est aliarum, sanctoque illi conventui reverenter singuli humiliterque obediant, et clamati veniam petant ; quam clamationem non nisi abbates faciant. — Nulla sane ratione nisi duabus ex causis annuo licebit deesse capitulo aut videlicet ob corporis infirmitatem aut inevitabili episcopi vel archiepiscopi obedientia. Cui autem quodlibet horum contigerit, prepositum pro se vicarium vel alium idoneum de claustro suo mittat. Quod si quis alia quacumque occasione quandoque remanere praesumpserit vel non miserit, in proximo capitulo disciplinae subiaceat, et per totum annum per sextas ferias, nisi duplex festum fuerit, in pane et aqua ieiunabit ».

Statuta anni 1630 magis thetice de Capitulo Generali tractant. Quod antea in subsequentibus codificationibus Statutorum Ordinis

[1]) *Sacri, Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis Statuta renovata, a Capitulo Generali anni 1947 Romae celebrato recognita.* Tongerloa, 1947, stat. 17.

practice immutatum remanserat, post Concilium Tridentinum strictius determinatur. Natura ipsa Capituli nullo modo mutatur ; verum enucleatius describitur Capituli celebratio. Ita legimus in illis Statutis : « Ut Ordinis nostri constitutiones exactius serventur, et si quid violatum vel collapsum vel de rigore remissum fuerit, restauretur, ac etiam ut mutua charitas et pax, quae inter eiusdem instituti Praelatos et Religiosos esse debent, magis magisque augeantur, foveantur et confirmentur, communi Praelatorum consensu est constitutum, ut singulis trienniis (si tamen Dominus Praemonstratensis, pro Ordinis necessitate vel utilitate, ita expedire iudicaverit), idque post Pascha, in *Dominica Cantate* [2]), omnes Ordinis nostri Abbates, vel ad minus duo, nisi Dominus Praemonstratensis plures evocandos existimaverit, de qualibet Circaria ex iis, quibus ob distentiam aut aliam urgentem causam a Capitulo Generali hoc est concessum, per unamquamque Circariam et eiusdem expensis deputandi, ad Capitulum Generale per Dominum Praemonstratensem tempestive indicendum conveniant in Ecclesia Praemonstratensi, et non alibi, nisi de assensu Domini Praemonstratensis et Capituli Generalis » [3]).

2. Momentum

Textus Statutorum anni 1630 clare manifestant momentum Capitulorum Generalium in vita Ordinis. Agitur nempe in iis coetibus de bono communi Ordinis ex omni parte collegialiter statuendo, retinendo, et vindicando. Quod optime ita exponitur a G. Van den Broeck, O. Praem. scribente : « Textus variarum editionum Statutorum sunt sufficienter lucidi, quin ulteriorem explanationem requirant. Statuta antiquissima habent : « Iterum statutum est quod semel in anno gratia sese visitandi, ordinis reparandi, confirmande pacis, conservande karitatis, abbates omnes ad colloquium pariter conveniant... ». Consecutio huius finis aliter enuntiatur in Statutis anni 1630 : « Ut Ordinis nostri constitutiones exactius serventur, et si quid violatum, vel collapsum, vel de rigore remissum fuerit, restauretur ; ac etiam, ut mutua charitas, et pax, quae inter eiusdem

[2]) Hac ratione designatur dominica 4a post Pascha; denominatio ista originem desumit a modo quo incipit cantus Introitus S. Missae huius Dominicae; Introitus illi ita revera incipit: Cantate Domino canticum novum.

[3]) *Statuta Canonici Ordinis Praemonstratensis*. Lovanii 1630. Nova editio: Averbodii, 1898, dist. 4a, c. 1, nr. 1.

UNIV. BIBL. TUBINGEN

instituti Praelatos, et Religiosos esse debent, magis magisque augeantur, foveantur, et confirmentur » [4]).

Capitulum Generale Ordinis ergo haberi potest ac debet, ut iterum verbis utamur G. Van den Broeck : « Coetus necessarius omnium Praelatorum ad bonum commune Ordinis promovendum, habens supremam authoritatem in Ordine » [5]).

3. Historia

Quamvis in primis Statutis Ordinis notis sermo fiat de « annuo colloquio » [6]), non inde ab incunabulis Ordinis extitisse videtur Capitulum Generale stricte sumptum [7]). Evolutio illa primaeva Capituli generalis optime et summa cum cura adumbrata fuit a H. Marton ; conclusiones potissimae ipsius ita ab ipso exponuntur : « Capitulum generale, quod post quinquaginta fere annos a primo colloquio sex abbatum, prima vice in bulla : *In Apostolicae Sedis specula*, Alexandri III, a. 1177, uti organum collegiale supremi regiminis Ordinis organice constitui apparet, cum triplici functione potestatis qua gaudet : in iure particulari condendo ; in diudicando tum controversias monasteriorum inter se, tum actus Superiorum sive subditorum in foro externo ; in executione Statutorum, quae gubernationem personarumque rerumque temporalium moderantur administrationem, necnon correctionem exigunt excessuum vel punitionem transgressionum contra Regulam et Statuta commissarum, non est est institutum ad id tempus in Ordine penitus ignotum, sed fructus evolutionis historico-iuridicae fere quinquaginta annorum. Singula elementa instituti iam antea extiterunt ; non quidem simul, sed gradatim apparent... Manifestum est Capitula generalia, inde ab a. circ. 1140, competentiam crescentem sibi vindicasse, quoad personas, res et actiones integrum Ordinem respicientes ; actibus et decretis suis non solum intra ipsum Ordinem promovere intenderunt uniformitatem unitatemque disciplinae regularis, sed etiam ad

[4]) G. Van den Broeck, *De Capitulo Generali in Ordine Praemonstratensi*: *An. Praem.*, XV, 1939, p. 127.

[5]) *Ib.*, p. 128.

[6]) R. Van Waefelghem, *Les premiers Statuts de Prémontré*, in *Analectes de l'Orde de Prémontré*, IX, 1913.

[7]) H. Marton, varii articuli publicati in *Anal. Praem.*, XXXVIII-XXXIX, 1962-1963, postea sep. in libro: *Initia historico-iuridica Capituli Generalis Ordinis Praemonstratensis*, Romae, 1964, XXII-203 pp.

extra strenue defendebat iura Ordinis, tum erga alios Ordines, cum in impetranda tutela supremae auctoritatis... Capitulum Generale constituit vinculum iuridicum Ordinis, supremum et efficax, quod unionem omnium monasteriorum eiusdem « Ordinis » in verum et proprie dictum Ordinem efficit et organicum ac stabilem reddit. Hoc, praesertim tempore subsequenti conatuum ad independantiam illimitatam variarum regionum probatur, quando, non obstantibus quoad obligationem generalem annuatim assistendi Capitulis, unitatem conservare potuit in essentialibus, absque scissione irreparabili » [8]).

Historiam Capitulorum Generalium Ordinis novisse vario sub respectu nimis extollere aegre fieri posset. Mirum proinde non est, si prae oculis retinemus ea quae iam in primo fasciculo *Anal. Praem.*, I, 1925, p. 10, declarata fuerunt a bonae mem. J. J. EVERS : « Universim notum est quantopere et quam universaliter Capitula Generalia in Ordine Praemonstratensi olim influxum habuerint » [9]). Acta Capitulorum Generalium proinde summum momentum habere quis negare auderet ?

Quaestio prima hic occurrit paucis tractanda. Uti omnes profecto norunt, Acta illa nullibi impressa praesto esse. Exsistuntne manuscripta ?

In quantum investigationes hucusque, a plurimis peractis, docent, collectio Actorum Capitulorum Generalium Ordinis non videtur subsistere ; nullibi, saltem hucusque, positiva notitia de exsistentia talis collectionis apparet. Ubi I. CANIVEZ, O. Cist. Ref., in introductione generali ad editionem completam : *Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis ab anno 1116 ad annum 1786*, tom. I, pp. XVII-XXII [10]), de variis codicibus, Capitula generalia Ordinis Cisterciensis continentibus, loqui potest, noster Ordo, — nisi, fontes hucusque plane incogniti, detegantur — tales fontes omnia Acta Capitulorum Generalium continentia proferre non valet.

[8]) H. MARTON, l. c., *Anal. Praem.*, XXXIX, 1963, 241 s.; ed. sep., pp. 185-187.

[9]) Cfr. J. J. EVERS, *Stoffelijke Inrichting te Prémontré voor de Generaal-Kapitels tijdens de XIII*de *eeuw*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, pp. 10-19. In specie: « Het is algemeen bekend welke grote rol en vèrreikende invloed de Generaal-Kapitels in de Orde van Premonstreit oudtijds hebben gehad », l. c., p. 10.

[10]) J. M. CANIVEZ, O. Cist. ref., *Statuta Capitulorum ordinis Cisterciensis ab a. 1116 ad a. 1786*. 8 tt. Lovanii,

Ita ut historia Capituli generalis, in integro sua decursu, describi nequeat.

Quid autem practice, relate ad fontes Actorum Capitulorum illorum habetur ?

4. Fontes

Status rerum, sub hoc respectu, ita describitur a N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, p. 13 : « Dolendum est valde, hos fontes praestantissimos (Actorum Capitulorum Generalium) quoad maiorem partem periisse. Pro saeculis XII-XV, extant tantum hinc inde collectiones excerptarum definitionum, quaestiones disciplinares et liturgicas generatim tangentium. Tenebantur enim abbates, a Capitulo Generali reduces, quam citius decreta et diffinitiones fratribus suis promulgare. Quae decreta, ea solummodo referentia, quae ad Ordinem integrum vel ad illam abbatiam in specie spectabant, sedulo sunt collecta, et saepius codicibus Statutorum, Ordinarii et aliorum huiusmodi ad calcem abscripta » [11]).

Subsistunt vero duae collectiones generales Actorum Capitulorum Generalium, inde saltem ab anno 1498.

a. *Ms. Laon 538.*

Asservatur in bibliotheca municipali Laudunensi (Laon) manuscriptum nr. 538 portans. Ms. istud duas partes complectitur. Inscriptio generalis manuscripti ita sonat : *Res Praemonstratenses*. Liber primus varia de Ordine habet : in specie : Bona ecclesiae Praemonstratensis, statuta annorum 1289, 1505, 1630, Statuta Congregationis Hispaniae et Communitatis Antiqui Rigoris. Scriptum fuit hoc primum volumen a Gregorio du Crocq, secretarii Capituli Generalis, et quidem anno 1661. — Alterum volumen eiusdem ms. : Laon 538 refert textum Acta Capitulorum Generalium annorum 1432-1660. Pro Capitulis ante annum 1498, habentur tantum fragmenta decretorum, desumpta ex archivis S. Martini Laudunensis, et in illis fragmentis monasteria Galliae prae oculis habentur. Inde ab anno 1498, acta integra Capitulorum referuntur. In specie, Capitulorum annorum : 1498-1544, 1552-1565, 1569, 1571-1575, 1577, 1582, 1584, 1586, 1605, 1618, 1619, 1622, 1625, 1627, 1630, 1633, 1657, 1660.

[11]) N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952.

Haec collectio Actorum scripta a Gr. du Crocq, et quidem iuxta exemplar quod aderat in archivo Archicoenobii Praemonstratensis. — Ratio lacunarum, quae in actis Capitulorum referendorum animadvertitur, indicari nequit. Ita scribit p. 383 : « Praemonstrati non extant Acta Capitulorum Generalium ab anno 1544 inclusive usque ad annum 1552 exclusive. Et nescimus an istis annis intermedijs fuerit aliquod celebratum Capitulum Generale ». Et iterum, p. 483 ; « Ab hoc anno fit saltus ad annum 1669 et nescitur an annis intermediis celebrata fuerint Capitula Generalia Ordinis Praemonstratensis. Saltem acta desunt ». Sed non videtur quomodo negari possit anno 1566 celebratum fuisse Capitulum ; nam, aliis rationibus seclusis, capitulum anni 1669 sermonem habet de decisione tunc lata relate ad novitium S. Martini Laudunensis (ib. p. 486). — Alterum hoc volumen ms. 538 scriptum fuit a du Crocq inter 25 octobris 1661 et 21 maii 1662. Negari nequit du Crocq non ita accuratum fuisse in exscribendo textus Actorum, quod manifesto clarescit in modo quo nomina propria scribuntur [12]).

b. *Ms. Nancy 994.*

Notum est abbatem C. L. Hugo [13]) permulta documenta ad Ordinem Praemonstratensem eiusque historiam congregasse. Haec collectio nunc asservatur in Bibliotheca publica Nancy [14]). Inter illa manuscripta occurrit ms. 994 ; in qua collectione, quae sane non eminet clara et perspicua ordinatione, plurimi actus et, saltem partialiter, multa decreta capitularia inveniuntur. Incipiendo ab anno 1247 ad annum 1717 usque. Etiam acta nonnullorum Capitulorum in extenso referuntur.

c. Pro Capitulis Generalibus celebratis post annum 1600 in multis

[12]) « La copie de du Crocq fut hâtive et nonchalante. Certains noms propres sont traités avec une désinvolture particulière. A chaque occasion, il ajoute des notes marginales assez pimentées, exprimant son dédain vis-à-vis des Prémontrés du seixième siècle » : E. Valvekens in *Anal. Praem.*, XIV, 1938, p. 65, n. 5.

[13]) Cfr. de C. L. Hugo : L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes et Ecrivains de l'Orde de Prémontré*, t. III, Bruxellis, 1907, pp. 110-129; M. A. Georgel *L'abbaye d'Etival, Ordre de Prémontré, du XII^e au XVIII^e siècle.* (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 3). Averbode, 1962, pp. 161-175.

[14]) Cfr. U. Berlière, *Notes sur les manuscrits de l'abbé Hugues d'Etival* in *Compte-rendu des séances de la Commission Royale d'Histoire de Belgique*, 5^e série, VIII, 1898, pp. 113-170; A. Vacant, *La Bibliothèque du Grand Séminaire de Nancy*, Nanceii, 1897.

archivis, tam Ordinis, quam publicis, in quibus reperiuntur archiva coenobiorum Praemonstratensium in praesenti non amplius subsistentium, Actus plures asservantur, saltem fragmentarie. Fragmenta talia etiam inveniuntur in scriptis antiquis Praemonstratensium ; inter quos, sub hoc respectu, eminere videtur C. SAULNIER († 1738) [15]).

In editione Actorum Capitulorum Generalium, cui in praesenti initium damus, non omnia et singula fragmenta hinc illinc congregata, referimus. Editionem hanc ratione ista curare vellemus : Cum ms. Laon 538 editionem Actorum Capitularium incipiat ab anno 1498, cumque ulterius ms. Nancy 994, pro annis a. 1498 praecedentibus, nonnulla decreta, interdum satis extensa, referat, et haec ultima edere magnopere utile esse nobis visum est. His decretis, nonnulla alia adiungimus, quae in libris hucusque de hac materia scriptis ac publicatis, nullo modo vel minus considerantur. Quid de Capitulis huius saeculi duodecimi constet, secundum fontes nunc notos, scite tractatum fuit recenter a H. MARTON (cfr. p. V, n. 7).

Plenissime nobis in comperto est editionem hanc perplures lacunas secum ferre. Faxit Deus ut haec editio Actorum Capitulorum Generalium nostri Ordinis, ut incompleta, alios incitet ut lacunae illae foeliciter compleri queant.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Averbodii, die 15 Iunii 1966,
in festo S. Isfridi, O. Praem.

P. S. — In *Anal. Praem.*, XVI, 1940, pag. spec., E. VALVEKENS († 1944), edidit, introductione explicativa praemissa, Actus Capitulorum Generalium, quae celebrata fuerunt sub abbate Generali Despruets (1572-1596). Eduntur, in specie : Acta Capitulorum generalium aa. 1573 (pp. 1-5) ; 1574 (pp. 6-11) ; 1575 (pp. 12-20) ; 1577 (pp. 21-27) ; 1579 (pp. 28-34) ; 1582 (pp. 35-43) ; 1584 (pp. 44-52) ; 1586 (pp. 53-62). Haec editio facta est iuxta textum relatum in ms. supra memorato Laon 538.

[15]) C. SAULNIER, *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis renovata anno 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776.

TOMUS I

SAECULIS XII-XV

1

Decretum Capituli Generalis anni 1174

Angli, ex decreto Capituli generalis debent singulis annis duos abbates mittere ad Capitulum generale Praemonstrati.

« Hugo [1]), abbas Praemonstrati, et caeteri Abbates Capituli generalis anni 1174.

Dilectis fratribus coabbatibus de Nehus, de Wilford, de Welbeck, de Moduna, de Crohestan, de Lauueden, de Defford, de Berlig, de Lupeholm [2]), salutem. De Circatione singulis annis singulis annis inter vos facienda, et qualiter annuatim ad Capitulum venire debeatis, quod in commune statuimus vobis scribendo innotescimus et inviolabiliter servandum in posterum, praesenti chirographo communicamus. Generali itaque omnium nostrum institutione sancitum est, ut vos novem in una circatione sitis, et ut ex vobis singulis annis ad Capitulum veniant, et ut quarto anno veniant tres, ita ut primo anno veniant de Wilford et de Crohestan, 2° anno qui de Nehus et de Lupeholm ; 3° de Deford et de Modun ; 4° anno de Welbeck et de Berlig et de Leuueden. Vobis ergo omnibus autoritate Ordinis et vi obedientiae iniungimus ut institutionem hanc sicut expressum est, absque omni conditione observetis ; si vero contigerit ut usque ad portum Dover [3]) venientes, regia prohibitione

[1]) Hugo, secundus, abbas generalis fuit annis 1174-1198. Antea abbas fuit Cuissiacensis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 527; Ch. TAIÉE, *Prémontré*, I, Paris, 1872, pp. 56-58.

[2]) Nomina illarum abbatiarum minus recte scripta sunt. Ponimus hic nomen singularum illarum abbatiarum, ita ut legi datur apud N. BACKMUND, l. c., t. II. *Nehus*, seu S. Martiales de Nehus = Newhouse (BACKMUND, l. c., pp. 67-69); *Wilford*, seu Sulby (BACKMUND, l. c., p. 73 s.); *Welbeck* = Welbeck (BACKMUND, l. c., pp. 82-84); *Moduna* seu Maldon = Beeleigh (BACKMUND, l. c., p. 39 s.); *Crohestan* = Croxton (BACKMUND, l. c., pp. 48-50); *Lauueden* = Lavendon (BACKMUND, l. c., p. 64 s.); *Defford* = Durford (BACKMUND, l. c., p. 52 s.); *Berlig* = Barlings (BACKMUND, l. c., p. 34 s.); *Lupeholm* = Tupholme (BACKMUND, l. c., p. 80 s.).

[3]) Dover est portus maris Angliae, versus regiones Europae.

vel tempestate transfretare nequiveritis obsistente, illud nobis et citationem vestram innotescetis, ut ita excusabiles habeamini » [4]).

Documentum hoc refertur in *ms. 994 Nancy*, fol. 500 a. Additur in manuscripto hoc additum : Ex archivo S. Mariae Mussipont. (Sainte-Marie de Pont-à-Moussion). — Sumptum ex scriniis Praemonstrati.

2

Capitulum Generale anni 1209 statuit de apostatis

C. SAULNIER, in editione Statutorum anni 1630, ab ipso curata, et notis ornata, Stivagii, 1725, et in tertia editione, Luxemburgi, 1776, p. 290 s. decretum Capituli Generalis, anni 1209, refert hoc modo :

« Cum facilitas veniae incentivum praebeat delinquenti, et per apostatas nostri Ordinis, quibus levis castigatio, et facilis gratiae impensio semper impenditur, damna et scandala saepius in Ordine nostro oriantur, ac proinde rigor, et tenor regularis Ordinis penitus enervetur ; statuitur ut quicumque Fratres nostri Ordinis de cetero semel apostataverint, si redire voluerint, recipiantur ; et ad Ecclesias nostri Ordinis remotas, in poena gravioris culpae 40 dierum, sine remissione aliqua emittantur puniendi. Si secundo apostataverint, et redire voluerint, non recipiantur, nisi tali lege, quod per biennium, sine remissione aliqua, carceri mancipentur. Si autem

[4]) H. MARTON in *Anal. Praem., Praecipua testimonia de activitate Capitulorum Generalium saeculi XII*, XXXIX, 1963, p. 231; ed. sep.: p. 175, existentiam huius epistolae capitularis invenit apud C. SAULNIER, *Statuta Ordinis Praemonstratensis anni 1630*, Stivagii, 1725, p. 338; Saulnier, ita censet Marton, hanc epistolam certe extraxit e collectionibus quibus C. L. HUGO usus est in conscribendo eius opere: *Annales Ordinis*. Ita res sese revera habet; nam in ms. Nancy, 994, refertur hoc documentum. De valore huius edicti capitularis haec scribit Marton, l. c. : « Epistola ista primum testimonium constituit in ordine chronologico quod exemptionem probat partialem ab obligatione frequentationis annuae Capitulorum generalium; quae concessio a Capitulo generali a. c. 1174 abbatibus Angliae data est. Continet applicationem novem abbatibus monasteriorum in Anglia obligationis Statutorum Ordinis assistendi annuis Capitulis generalibus et visitationis annuae monasteriorum instituendae. Ut mandatum Capituli generalis de annua assistentia Capitulis et de annua visitatione regulari in executionem deducatur, novem monasteria Capitulum generale in unam congregavit Circariam » (p. 175).

diabolo instigante, tertio, vel amplius, ipsos apostatasse contigerit, nullatenus recipiantur, nisi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale, et tunc talibus additur ad poenam, prout in scandalis, et damnis Ecclesiarum suarum deliquerit, plus vel minus. Statuto priore ad poenas, in isto Statuto non contentas, in suo robore permanente, praesens Statutum tam ad praesentes quam ad futuros apostatas, nisi infra annum redierint, extendendum declaramus ».

Idem C. SAULNIER, l. c., p. 299 s., tamquam in eodem Capitulo statuta, haec refert :

« Cum saepius Fratres nostri Ordinis pro suis excessibus emittantur ad Ecclesias Ordinis, pro tempore moraturi, et aliqui Abbates, Priores, sive Praelati, poenas Ordinis parum formidantes, sub praetextu alicuius exemptionis, seu gratiae sibi factae, eos retinere non curantes, ipsos ad Ecclesias, de quibus emittuntur, remittere non formidant, unde damna et scandala plurima Ecclesiis, et toti Ordini oriuntur ; statuimus, ut quicumque Abbas, vel Praepostus nostri Ordinis, Fratres secundum Ordinis Instituta a se missos retinere noluerint, vel qui sine D. Praemonstratensis vel Capituli Generalis licentia, vel illorum quorum auctoritate sunt emissi, eos remittere praesumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi, nisi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale, Priores vero et alii Officiales, qui in hoc inventi fuerint deliquisse, suis Officiis in continenti sint privati. Abbates autem, de quorum Ecclesiis sunt emissi, illos retinere minime teneantur ».

3

1217. Forma celebrationis Capituli Generalis

Emo [1]), abbas Floridi Horti (Bloemhof), seu Wittewierum [2]), in

[1]) Emo, primus abbas Floridi Horti; obiit 13 decembris 1237. Cfr.: L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, p. 239 s.; J. B. VALVEKENS, *Emo* in *Dict. de Spiritualité*, fasc. 26-27, 1959, col. 628; H. HEIJMAN, *Emo* in *Dict. d'Histoire et de Géogr. Ecclésiastiques*, t. XV, 1961, coll. 434-437.

[2]) Wittewierum, abbatia circariae Frisiae, incoepta versus a. 1210, et suppressa anno 1561. Aliud nomen: Floridus Hortus, seu Bloemhof. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 230-234.

suo Chronico [3]), formam describit qua Capitulum Generale celebrare solebant. Ita scribit :

« Formam Capituli, quod per triduum celebratur, in scriptum redegit hoc modo : Primo die postquam ingressi sunt capitulum abbates Premonstratensis ordinis, procurantur littere varie, pro causis quibuscunque tam per patres ordinis quam per nuncios potentum et pro excusatione absentium, et conceditur fraternitas supervenientibus per librum solito more ; item pro absolutione defunctorum, quibus olim per se, vel per certum nuncium petentibus per litteras data fuit fraternitas. Quorum littere tunc recitantur. Quibus lectis subiungit abbas : *Anima eius et anime omnium defunctorum*, etc. Pro fraternitate quoque danda multi tam viri quam femine religiose, pauperes et divites, intoducuntur. Die secunda ante ortum lucis pulsatur unum de maximis signis, et statim omnes surgunt abbates et capellani, dicentes apud se primam ; et pulsatis omnibus signis omnes chorum ingrediuntur, et mox abbas ille, cui pridie iniunctum fuerit, imponit solemniter : *Dum sanctificatus* etc. cum sequentia : *Veni sancte Spiritus*. Missa itaque percantata, vel usque *Agnus Dei*, pulsatur nola. que suspensa pendet ante ostium capituli vel caminate abbatum, ter interciso sono. Finita missa, omnes intrant capitulum, et omnibus decenter stantibus imponit abbas aliquis humilians se ante domnum Premonstratensem, accepta benedictione, facit sermonem. Postea sicut prius fraternitas a supervenientibus postulatur et conceditur, et abbates pro familiaribus suis postulant. Hiis ita peractis, prior capituli, abbas aliquis, publice pronunciat, ut exeant capellani, et continuo surgunt circatores secundum ordinem cum scedulis duo, in quibus recitatur quomodo se habeat domus illa et illa, quam visitarunt in spiritualibus et temporalibus. Quibus recitatis, porrigunt cartulas priori capituli, et coram (domino) Premonstratensi se prosternunt dicentes : *Si quid minus fecimus, quam debuimus, veniam petimus* ; et abbas subiungit : *Indulgentiam*, etc. Post hec omnia dicit domnus Premonstratensis hiis, qui diffinitores dicuntur, ut facto prandio conveniant et super singulis, quae recitata sunt, more solito tractent et disponant. Die tercia, sicut

[3]) Emo scripsit celebre Chronicon cuius textus ad nos pervenit. Editus in *Monumenta Germaniae Historica. Scriptores*, t. 23, 1874, pp. 465-523 (ed.: L. Weiland) ; et iam a C. L. Hugo, *Sacrae antiquitatis monumenta*, t. 1, Stivagii, 1725, pp. 429-503. — Etiam apud Pl. Lefèvre, *Les Statuts de Prémontré réformé sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV au XIII^e siècle. Bibliothèque de la Revue d'Histoire Ecclésiastique*. Fasc. 23. Lovanii, 1946, p. 144 s.

predictum est, ante ortum lucis pulsatur prima ; et ingressis omnibus chorum imponitur solemniter : *In medio ecclesiae*. Abbates interim, qui volunt, missas celebrant. Missa iam percantata, pulsatur nola capituli, ut dictum est, et omnibus in capitulo constitutis, imponit domnus Premonstratensis : *Veni, creator*. Postea dicit : *Benedicite*, et rursus fit exhortatio. Diffinitores autem, si adhuc habent indiscussa, iterum conveniunt seorsum, et alii quilibet exeunt. Fit tamen interim exhortatio in capitulo claustri ; cui multi intersunt. Reversis vero diffinitoribus in capitulum, pulsatur nola, et conveniunt singuli abbates, et surgens prior capituli dicit : *Exeant capellani, et nuncii abbatum remaneant*, et extunc de tabula pronunciat quecunque diffinita sunt et scripta, videlicet de abbatibus deponendis, quibus dicitur : *Abbates illi pro insufficientia sua cedant* ; et statim surgunt et reddunt sigilla, et dicitur eis prostratis : *Indulgentiam*. Quibus rite de abbatibus peractis, surgunt et capitulum claustri intrant et, si que sunt de culpis subditorum ordinata, contra eos pronuncian-tur in audientia omnium. Postremo domnus Premonstratensis more prefationum in parasceve orat pro omnibus gradibus ecclesie. Tandem accensis candelis et allatis stolis et baculo pastorali, excommunicantur proprietarii et alii secundum ordinem, et dicit : *Omnes proprietarios*, etc. *auctoritate Domini nostri Iesu Christi* subiungens : *Fiat, fiat*, et proicit ad teram candelam, quam tenuit, et alii abbates similiter. Postea subiungit : *Confiteor, Misereatur, Indulgentiam*. Sequitur benedictio : *Sit nomen Domini benedictum. Adiutorium. Benedicat* » [4]).

4

1230. De Conversorum habitu

« Cum inter habitum Canonicorum nostri Ordinis et Conversorum in cappis sit differentia, sic in scapularibus ipsorum distantiam, seu differentiam, haberi volumus : Statuentes, ut quicumque recipientur de coetero in Conversos, quod grisea Scapularia habeant, atque portent ; ut sicut per cappas griseas videntur conversi, sic per scapularia grisea Laici videantur. Illi autem qui recepti sunt, et

[4]) Textus hic relatus editur a L. WEILAND, l. c., pp. 477 s. — Cfr. B. MACKIN, O. Praem., *De origine definitorii in Ordine Praemonstratensi* in *Anal. Praem.*, XLI, 1965, pp. 207-209

apostataverunt, talia grisea scapularia portent, et habeant toto vitae suae tempore. Huiusmodi item Conversorum scapularia, erant olim angulariter, ad modum scuti decisa ante et retro... ».

Ita J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 25.

5

1231. De Praeposito in Olinghausen

« Decretum evulgatum : F. Conradus [1]), Dei patientia Praemonstratensis ecclesiae dictus abbas, et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale. Salutem et sinceram in Domino charitatem. Noverint universi nos in nostro generali Capitulo statuisse ut Sorores de Holinghausen [2]), eligendi sibi Praepositum nostri Ordinis liberam habeant facultatem et eidem Praeposito obediant tamquam Patri, qui etiam Praepositus curam habeat animarum ipsarum, ita tamen quod Praeposito de Arnsberg [3]) Paternitas remaneat, et ad ipsum habeant immediate respectum secundum consuetudinem et curam, quam Patres in filias dignoscuntur habere. Datum anno gratiae MCCXXXI ».

Ita C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, Nanceii, 1736, col. 444 s.

6

1232. De iure paternitatis in Houtem S. Gerlaci

« A Capitulo Generali anni 1232, asserta est Ioanni, tamquam Praeposito (Heinbergensi) [1]), Paternitas in S. Gerlaci Parthenium » [2]).

[1]) Conradus fuit abbas Praemonstratensis annis 1220-1235. Modo satis miro depositus fuit a suo munere abbatiali. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, Parisiis, 1872, pp. 80-85.

[2]) Holinghausen, seu Olinghausen, pertinebat ad Circariam Westphaliae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 183 s.

[3]) Arnsberg, similiter ad Circariam Westphaliae pertinebat. Cfr. N. BACKMUND, *ib.*, pp. 149-151.

[1]) Heinsberg, ad Circariam Westphaliae pertinens, fuit parthenson. Cfr. N. BACKMUND. *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 170 s.

[2]) Houtem S. Gerlasi erat parthenon, in eadem regione situm. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 171.

Ita C. L. Hugo, *Sacro Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 833.

7

1233. Precum confoederatio inter Praemonstratenses et Ord. Praedicatorum

Fr. Winter, *Die Prämonstratenser des zwölften Jahrhunderts*, Berolini, 1865, p. 256 haec refert : « Die Verwandschaft (mit den Dominikanern) wurde 1233 [1]) dadurch besiegelt, dass das General-Capitel von Prémontré mit den Dominikanern Deutschlands eine geistliche Bruderschaft schloss. Da sich euer Bemühen, heisst es in dem Anschreiben, besonders darauf richtet, dass durch eure Predigt die Sünder von dem Irrthum ihres Weges sich bekehren und von der Unwissenheit zum wahren Licht des Glaubens und der Heiligung kommen, so ziemt es sich für uns, dass euch die Gebete der Gläubigen zu Hülfe kommen. Weil ihr nun die Gebete unseres Ordens begehrt habt, so gehen wir gern auf euren Wunsch ein und geben euch Antheil an allen geistlichen Wohltaten und guten Werke unseres Ordes, und damit eure Predigt um so besser wirkt, wollen wir diese Wohlthat auch auf alle die ausdehnen, die auf eure Predigt von ihren Sünden ablassen, oder ihren Feinden vergeben ».

J. Le Paige, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 304, scribit hoc factum esse in Capitulo Generali. Scribit ille :

« In publico ac generali Conventu Praemonstrati habito, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio, summopere instituterunt, ut ab iisdem (O. Praem.) in partem bonorum omnium, et quasi haereditatis, admitterentur, quid illis sub hac verborum serie concessum fuit : Viris religiosis et amicis charissimis in Christo, universis Fratribus Ordinis Praedicatorum per Teutoniam constitutis, Abbatum Praemonstratensis Capitulum Generale. Salutem, et ex semine verbi Dei salutis manipulos reportare. Quam fructuosus existat labor ille, quam acceptum Deo et hominibus sacrificium operentur,

[1]) Ordo fratrum Praedicatorum, a S. Dominico fundatus, a S. P. Honorio die 22 decembris probatus fuit. Capitula Generalia ann. 1220 et 1221 fundamenta Constitutionum statuerunt.

qui specialiter salutem animarum procurant, et in acquirendis Deo devotis animabus, suum exercitium incessanter impendunt, noverunt omnes qui Christiani nominis insignia profitentur. Unde cum operationis vestrae studium ad hoc praecipue et principaliter dirigatur, ut per Praedicationis vestrae laborem, peccatores ab errore viae suae salubriter convertantur, et proculsis ignorantiae tenebris, ad rectam fidei et sanctitatis lucem recurrant : Decet profecto et expedit, ut vobis per orationem fidelium succurratur, quatenus et libere, quod pie intenditis, exequi valeatis, et desideratum fructum de vestro labore abundantius reportetis. Cum igitur orationes Ordinis nostri, ex parte vestra a vobis fuerint devote postulatae, eidem petitioni benigne et humiliter inclinati, concedimus vobis et universis et singulis plenam participationem nostrorum, et omnium spiritualium beneficiorum, quae de coetero in universo eodem ordine nostro fient. Et ut labor vester melius sortiatur effectum, autoritate praesentium, vobis plenam concedimus facultatem concedendi, erogandi orationes nostras omnibus illis, qui ad praedicationem vestram aut monitionem a peccatorum perpetratione cessabunt, aut iniurias, vel inimicitias inimicis remittent. Valete. Datum Praemonstrati in Capitulo generali. Anno gratiae millesimo ducentesimo trigesimo tertio ».

8

1236. Varia puncta diversi generis

1. « Capitulum Generale ultra triduum continuum prorogari non debet. Quod si ex rationabili causa prolongetur, per unum tantum diem prolongari debet, ut praescribit decretum Capituli Generalis anni 1236. Diffinitorum, inquit, Capituli generalis potestas et imperium. cum Capitulo post quatriduum ad summum terminetur et expiret ».

J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, p. 253.

2. « Reverendo patri in Christo amico charissimo, Dei gratia venerabili sancti Dionisii in Francia abbati, salutem et cum orationibus sinceram ad obsequia voluntatem. Attendentes petitionem vestram esse satis favorabilem et honestam, ut de beato Dionisio, patrono vestro, videlicet fieret per totum Ordinem duplex festum,

ipsam duximus admittendam, paternitati vestre attentissime supplicantes quatinus per gratiam vestram, si placet, se sancti eiusdem reliquiis nobis dignemini transmittere, ut super hoc devotius teneamus ad gratem quo vestram discretionem fuerimus in hac parte experti. Valeat paternitas vestra semper in Domino Iesu Christo. Datum Premonstrati in capitulo generali, anno gratie millesimo ducentesimo sexto ».

Ex Arch. Abb. Averbodiensis, IV, N° 24, fol. 7° (Ed. a Pl. LEFÈVRE, in *Anal. Praem.* IV, 1928, p. 134).

3. Pl. LEFÈVRE edit in *Anal. Praem.*, IV, 1928, p. 135, textus nonnullos Capitulares, provenientes a Capitulo vel Capitulis, habito vel habitis ante a. 1236. Textus illos subiungimus :

« Cum in quibusdam nostri ordinis ecclesiis nimis confuse pulsetur, statuimus ut ad Matutinas in primo ictu, Primam, Capitulum et Collationem tam diu pulsetur ut septem psalmi penitentialies dici possint ad minus, nisi istud quandoque per custodem conventus pro aliqua necessitate oporteat intermitti.

Quoniam gloriosus Deus in sanctis suis, et qui eius sanctos honorat ipsi Deo honorem creditur exhibere, nos de communi consilio capituli generalis statuimus ut in festo omnium sanctorum, singulis annis, fiant solempnes octave, et per illas octavas ymni, capitula et communis cantus, videlicet de martyribus *Absterget* cantabitur ; hoc proviso quod per illas octavas non intermittantur hore sancte Marie in conventu.

Quia pro universis beneficiis, que tribuit nobis Deus, semper exsolvere ei debemus gratiarum actiones, statuimus ut omnes nostri ordinis professores in fine orationum et in fine gratiarum prandii atque cene antequam aliquis eorum loquatur, vel antequam dicatur *Benedicite*, dicant singuli *Pater noster* pro animabus omnium fidelium defunctorum ».

9

1239. Praepositi Circariae Saxoniae per partes assistere debent Capitulo Generali

Fr. WINTER, *Die Prämonstratenser des zwölften Jahrhunderts*, Berolini, 1865, p. 242 s., haec refert :

« Propst Johannes von Magdeburg [1]) benutzte die Reise, die er zum Besuch des General-Capitels 1239 unternahm, um durch Vermittlung des Bischofs Wilhelm von Paris [2]) einen vortheilhafteren Vergleich zu erlangen. Die anwesenden sächsischen Pröpste brachten gewiss in Prémontré ihre Klagen über die mit dem gemeinsamen Besuch verbundenen Uebelstände in besonders dringender Weise an, und das General-Capitel beauftragte die Aebte von Prémontré [3]), Cuissy [4]) und Locus Restauratus [5]) mit dem Bischof Wilhelm zu verhandeln und gab ihnen Vollmacht dazu selbst das Capitelssiegel zu verwenden. Das dadurch herbeigeführte Uebereinkommen fiel für die sächsischen Klöster so günstig aus, wie sie es sich günstiger nicht hätten wünschen können. Anstatt das bisher alle drei Jahre sämtliche Prälaten der Magdeburger Congregation erschienen waren, sollte von 1240 an jedes dritte Jahr nur je einer von ihnen erscheinen ; mit anderen Worten : jedes Kloster sollte in 36 bis 48 Jahren einmal das General-Capitel beschicken » [6]).

[1]) Iohannes iste praepositus erat annis 1230-1246. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 234.

[2]) Wilhelmus, sive Guillielmus, iste episcopus fuit Parisiensis, aa. 1228-1248. Cfr. *Gallia Christiana*, t. VII, Parisiis, 1744, coll. 94-105. Hoc loco, col. 98, legimus: « Hugoni abbati Praemonstratensi scripsit die Mercurii festo S. Dionysii pro compenenda lite ecclesiae Praemonstrati cum Saxoniae praepositis ».

[3]) Abbas Praemonstratensis erat Hugo de Hirson, abbas aa. 1238-1242. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 527.

[4]) Abbas Cuissiacensis, seu Cuissy, erat Conradus. Cfr. BACKMUND, l. c., p. 497.

[5]) Locus Restauratus, seu Lieu-Restauré. Abbatis huius nomen, iuxta N. BACKMUND, l. c., p. 514, notum non est.

[6]) De conventione inita inter Capitulum Generale et Praepositos Saxoniae, haec habet Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 88 s.: « D'après la transaction qui intervint et fut sanctionnée par le chapitre général (octobre 1241), un des prévôts de Saxe devait à chaque ternaire se rendre à Prémontré pour le chapitre général avec un chanoine muni de notes rédigées par les autres prévôts et par lesquelles ceux-ci lui donneraient pouvoir de, en leur lieu et nom, conclure, décider, souscrire, prêter serment à l'abbé général pour les nouveaux élus, faire rapport des changements arrivés dans la Circarie, etc. En compensation de cette tolérance, les prévôts de Magdebourg et leurs circonvoisins devaient faire tous les trois ans, à l'église de Prémontré, présent d'un ornement valant au moins 20 sols parisis ».

10

1240. De sacramento Poenitentiae in Ordine Praemonstratensi

In articulo edito in *Analecta S. Ord. Cisterciensis*, XV, 1964, pp. 3-48, W. FREICH, O. Cist., sermonem habet de : *Das Beichtrecht im Zisterzienserorden nach den ältesten Gesetzessammlungen und den Statuten der Generalkapitels* (1098-1786). Occasione decisionis capitularis O. Cist., anno 1233, haec notat : « Dazu bietet der Prämonstratenserorden eine Parallele. In diesem Orden wurde in einem Statut vom Jahre 1240 festgesetzt, dass die Mönche dreimal im Jahr bei ihrem Abt beichten mussten : vor Weihnachten, Ostern, und Pfingsten ». Ad assertum istud probandum, citat Ph. HOFMEISTER, *Das Beichtrecht der männlichen und weiblichen Ordensleute*, Monaci, 1954, p. 184.

11

1241. Iterum de transactione inter Dominum Praemonstratensem et Praepositos Saxoniae

Quod supra, p. 12, notavimus, ad annum 1239, teste C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis, Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 23, tractatum dicitur anno 1241. Ita scribit HUGO, l. c. : « Res ad Capitulum eodem anno 1241 mense Octobri delata fuit : Hugoni Archimanditrae provinciam hanc demandaverunt Ordinis aggregari Primores : Ille assumptis ad consilium Cuissiaci et Loci Restaurati Abbatibus, edixit, ut ex Saxoniae Praepositis unus triennio quolibet accederet Praemonstatum pro Generalibus Comitiis, schedulis omnium aliorum munitus, quibus illi vices suas comparenti Praeposito commissas, omnimodamque concludendi, decernendi, subscribendi, etc. facultatem omnium nomine sancitam esse testentur, atque praeterea speciale deferat mandatum, quo Praemonstratensi Abbati pro novis, necdum ad obedientiam praestandam admissis Praepositis, fidelitatis Sacramentum iurandum ipsi iniunctum sit ».

12

1245. De abstinentia a carnibus

Haec habet J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*,

Parisiis, 1633, p. 210 s. : « S. P. Innocentius IV. in diplomate suo ad Cononem [1]) Abbatem Praemonstratensem, et Coabbates et Praepositos ipsius Praemonstratensis Ordinis in generali Capitulo congregatis misso, eoque Lugduni 7. Idus Martii dato, pontificatus sui anna secundo, severe in huiusmodi refractarios animadvertit, contra Legislatoris Institutorisque mentem, non sine ingenii Monasticae religionis dispendio, ad ollas carnium redire non erubescebant his verbis : Quia vero nonnulli Abbates sani carnes comedunt, et suis canonicis et conversis comedendas concedunt : Abbas qui de hoc convictus fuerit vel confessus, pro qualibet comestione tribus sextis feriis in pane et aqua ieiunet, canonicis et conversis modo simili puniendis, exceptis tamen debilibus et infirmis, potionatis aut minutis, quibus per Abbates esus carnium concedatur. Pulmenta vero infra septa Monasterii sine carne et sanguine praeparentur ; sed excipiendi sunt debiles vel infirmi, et operum pretiosorum artifices, vel seculares, qui extra septa ipsius Monasterii, vel infra ipsa poterunt vesci carnibus de gratia speciali ».

13

1247. Contra Proprietarios

Ms. Nancy 994, f. 1a-3a decretum refert Capituli Generalis 1247. Diciturque textus statuti desumptus ex mss. Urspergensi et Mussipontano.

Capitulum hoc statutum evulgavit, annotationis gratia ad cap. 14 Distinctionis tertiae Statutorum [1]).

[1 r°]. « Quoniam inter omnia vitia personis Regularibus summo studio cavenda et tamquam pestis periculosissima fugienda proprietatis vitium principatum obtinere dignoscitur, volumus et in virtute sanctae obedientiae et sub attestatione divini iudicii, atque sub excommunicationis et incarcerationis aliisque poenis iuris ac ordinis nostri, Praecipimus et mandamus omnibus et singulis utriusque sexus personis quatenus proprietates et bona mobilia et immobilia, quas et quae hactenus possederunt et ad usus privatos et proprios pro

[1]) Cono abbas fuit Praemonstrati aa. 1241-1247. Cfr. N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 527; Ch. Taiée, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, pp. 90-92.

[1]) Inter poenas a Statutis latas, de proprietariis semper explicite actum est,

libitu converterunt, contra iuris et Regulae S. Augustini, quam professi sunt dispositionem ; infra sex dierum spatium a tempore insinuationis praesentium immediate sequentium, quem terminum eis et cuilibet ipsorum tempore medio, pro monitione Canonica praefigimus sub poenis praedictis absque dolo et fraude, bona fide et in conscientia non ficta ad manus Abbatum seu Praelatorum suorum resignent et effectualiter studeant praesentare. Quandoquidem secundum eamdem Regulam et modum vivendi in communi absque ulla proprietate nullus ipsorum nec pro praesenti aut unquam in futurum proprium aut peculium habeat, possideat aut sibi appropriet bona quaecumque mobilia aut immobilia ad ipsum iure haereditario vel alias quomodcumque devoluta vel devolvenda, videlicet propinata, legata, empta, vel propria industria acquisita, sive quocumque titulo ad ipsum vel monasterium pertinentia, cuiuscumque nominis, utilitatis aut necessitatis existant. Cuiuscumque nominis, tuilitatis aut necessitatis existant. Sed omnia bona talia aut iura Communitatis cedunt Conventui, sintque abbati seu praelato vel ipsis conventualibus communia. Neque praesumat de caetero, sicut nec de iure potest, cum aliquo fratre seu religioso, vel etiam [1 v°] cum seipso super habendo proprio vel peculio dispensare. Quod si attentare praesumpserit, talis dispensatio ipsi facto cassa est, irrita et inanis. Et ut haec rerum communitas verius absque proprietate quacumque observetur, praecipientes firmiter inhibemus, ne aliqua pecuniarum inter fratres seu religiosos fiat distributio in monasterio, neque ipsorum ad usum alicui concedatur licentia sive pro vestibus aut aliis quibuscumque rebus comparandis et providendis, cum ipsa Sancta Regula manifeste obstans, et a vitio proprietatis non videatur aliena fore, neque aliquis fratrum aut religiosorum de rebus ad usum necessariis, et per distributionem menstrue recipiendis praesumat aliquis dare vel recipere sine iussione vel licentia praesidentis, neque habere aliquam rem ad usum proprium et privatum, utpote codicem, tabulam, graphium, sed nihil omnino quod abbas vel praelatus seu eius vicegerens non iuste concesserit, aut permiserit. Quippe quibus nec propria corpora licet habere in propria potestate, et nihilominus recepta aut permissa ab abbate vel praelato necessaria nec dicantur nec reputentur propria. Sed sit semper in voluntate recipientis ea velle restituere, dummodo per ipsum praelatum vel abbatem fuerit requisitus, ne in proprietatis vitium incidat coram Deo ; habeat insuper Praelatus sive abbas plenam facultatem eadem auferendi pro libito, et alteri, cui forsitan magis necessaria fuerint

secundum dispositionem regulae concedendi. Quaecumque vero contra praemissum modum pecunias aut alias res quantocumque necessarias habere praesumpserit, si admonitus non resignaverit, a communione altaris removeatur et carceri mancipetur, quousque monitioni tali paruerit, et si in extremo cum peculio inventus [2 r°] fuerit, et digne non poenituerit, nec altaris oblatio pro eo fiat, nec inter fratres, sed in sterquilinio recipiat sepulturam.

Permittimus tamen et concedimus quod Officiales deputati seu deputandi pecunias moderatas, aut alias res ad eorum officia pertinentes de licentia Praelatorum suorum apud se retineant, si, et in quantum necessitas pro eorum officiorum suorum debita executione res ipsas aut pecunias, exigit vel requirit. Ipse tamen praelatus si huiusmodi pecuniarum distributionem aut alias res fratribus non necessarias, praecipue ubi et quando per ipsum et communes officiales monasterii eis providere potest, permittere et concedere praesumpserit, ac istud vitium proprietatis in se ac in suis subditis radicitus extirpare non curaverit, praeter alias poenas a iure statutas, officii sui iacturam se noverit incursurum. Quapropter per se vel Priorem suum frequenter et ad minus semel aut bis in septimana scrutinium faciat in cellis et alibi propter peculium, vel ne occultetur quis peculiare, singula perquirendo. Ad cuius scrutinii impedimentum tollendum, nullus fratrum seu religiosorum intus vel extra cellam cistam vel arcam habeat vel quidquam aliud serratum nisi de licentia abbatis seu praelati ; que tamen absque rationabili vel manifesta causa nullatenus concedatur. Unde omnia quae ad usum fratribus conceduntur, sic reponantur per fratres, ut in scrutinio possint faciliter reperiri ; neque aliquis reponat aliquid animo occultandi, ne non solum proprietatis, sed etiam furti criminis secundum regulam reus fiat. Quod si circa aliquem fratrem aliquid repertum fuerit quod ipse prelatus non [2 v°] iuste concesserit aut permiserit, et sibi motu proprio appropriaverit, graviter puniatur. Talisque res penitus ab eo auferatur ; ut autem fratres omnes sollicitudine ad providenda sibi ipsis necessaria careant, hancque rerum propriarum ac peculiarum abdicationem gratius subire et supportare velint, quodque eis omnis murmurationis et proprietatis via et occasio praecludatur, districte praecipimus, volumus et ordinamus, quod abbas seu praelatus quicumque pro tempore fuerit omnibus et singulis fratribus absque personarum acceptione, secundum regulam provideat de victu, vestitu et calceamentis, caeterisque quae huic vitae necessariis competenter et sufficienter prout cuilibet necessarium fuerit iuxta rerum commu-

nium monasteriorum suppetentiam ac etiam facultatem ut ipsi in iis natabilem penuriam nullatenus patiantur ».

14

1250 (±) Varia

Ex : Pl. LEFÈVRE, *Les Statuts de Prémontré réformés sur les ordres de Grégoire IX et d'Innocent IV*, Lovanii, 1946.

1) « Un chapitre général, tenu vraisemblablement vers 1250, avait stipulé : Item infirmantes in infirmitorio hiemali tempore bis carnibus in die vesci poterunt, sed tantum sibi in mane de prandio debent reservare quod de residuo prandii possint affluenter habundare » (p. 32).

2) « Cum libertates Ordinis nostri et privilegia, propter malignorum insultus, defendi oporteat hiis diebus cum maximis laboribus et expensis, et ideo collectas contingit fieri in Ordine et multociens in ecclesiis eiusdem Ordinis assignari, statuimus ut quilibet abbas, sub poena depositionis, pecuniam sue ecclesie assignatam auctoritate capituli generalis afferat de cetero vel afferri faciat Praemonstrati, terminis illis quibus tenebitur de mandato predicti capituli deportari. Alioquin ingressum ecclesie sue, quamdiu in defectu solutionis predicte fuerit, sibi noverit interdictum ».

3) « Statuimus etiam quod cum alique littere sigillate conventuum ecclesiarum Ordinis fuerint siggilande pro rebus mobilibus, de consilio prioris et assensu supprioris, provisoris et etiam sex de senioribus et sanioribus domus sine difficultate qualibet sigillentur. Quod si aliqui contra statutum huiusmodi se opposuerint, a domibus propriis emittantur, non reversuri sine licentia capituli generalis. Super rebus autem immobilibus sigillentur secundum quod fieri consuevit ».

15

1250-1290. Liturgica praescripta

Ex : Pl. LEFÈVRE, *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres*

*généraux de Prémontré aux XIII*e *et XIV*e *siècles*, in : *Anal. Praem.*, IV, 1928, pp. 132-149.

« De quinque antiphonis in Assumptione et Nativitate beate Marie, que in laudibus cantantur, statutum est ut cotidie per octavas eiusdem Virginis quinque in Laudibus et Vesperis percantentur.

Statuimus eciam ut quicumque voluerint habeant albas ornatas serico vel purpura circa manus et circa pedes.

Item statutum est in Commemoratione omnium fidelium defunctorum communiter a conventu, in Capitulo, disciplina corporalis pro fidelibus defunctis recipiatur » (l. c., p. 137).

16

1251. De silentio servando

Ex : Ch. Taiee, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 93.

« (Jean II) fit confirmer par le chapitre général le rappel à la loi trop oubliée du silence dans les lieux réguliers. Il fit décréter par ce même chapitre (1251) que les abbés et prévôts, en vue de l'édification de leurs subordonnés eussent à rentrer dans la pauvreté volontaire, et s'abstenir de toutes vanités et superfluités dans les vêtements, les cortèges, les voyages, l'alimentation et le luxe des demeures ; sous cette même autorité, il compléta de pieux détails l'office de la Ste-Vierge, l'un des principaux exercices de chœur qui partageaient la journée des religieux ».

17

1254.

Ms. Nancy 994, fol. 10 v°-12 v°.

Epistola Alexandri quarti ad Abbatem Praemonstrati et Capitulum Generale Ordinis, qua eis suam electionem sigynificat, eorumque preces deposcit pro foelici Ecclesiae sibi concreditae regimine. Scripta anno 1254, undecimo Kal. Ianuarii, Pontificatus sui anno primo.

« Alexander, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Praemonstratensi et eiusdem Ordinis Capitulo Generali, salutem et apostolicam benedictionem. Summa summi artificis providentia summe omnia disponens, certum modum rectumque ordinem universis statuit creaturis, imponens singulis metas suas, earumque statum propria determinatione limitum distinguens ; ut per discretionem huiusmodi vitaretur in rerum universitate confusio et tot differentium essentia, tali differentia servaretur. Hac inquam ordinis congruentia operator ille Omnipotens discreta congessit, foederavit varia, contexit similia, copulavit [f. 11 r°] machinam, mundumque universum, mira per omnia interveniente concordia stabilivit. Sic et universalis Ecclesia distributis in ea gradibus, officiis distinctis, directa horum dispensatione stabili ordinatione consistit, quia cum huiusmodi ministeria gradatim inter se differant, dum superiores minoribus imperant et inferiores superioribus reverentur intendunt, dum sint humiliter subiecti, et illi benigne praesunt, dum congruis illi provisionibus, et devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in diversis Ecclesiae officiis communis observantia, totumque ipsius Ecclesiae corpus in suo devoto statu per hanc ordinatam et consonam diversitatem foeliciter praeservatur quaedam dabatur armonia. Et quoniam ad multorum regimen felix esse oportet singulare principium, quae pluralitas in persistendo scissuram induceret, subsistentibus discrimen inferret et sui gubernaculi disrumperet firmitatem, praeeminet quidem ob hoc dispensatione divina cunctis Ecclesiis Apostoli Petri sedes in qua quasi a capite ad ipsas Ecclesias tamquam cohaerentia sibi incubia, per eiusdem Apostoli successores documenta salubria, vivendi normam, munimenta opportuna et canonica instituta procedunt. Verum quia fragilis est et caduca conditio terrenorum, quibus ingruit senectus ex tempore, ex exercitio lassitudo, languor ex permanentia, ex existentia casus, ex diuturnitate defectus labilis humana natura huic legi corruptionis addicta, quanto longius suum esse proditur, tanto tendit propius ad non esse. Propter quod, mundi spatium in unoqueque mortali sua innata infirmitate restringitur, et propriae fragilitatis casu desinit in quolibet vitae casu. Hic profecto status assiduus omnibus communiter imminet, magis quidem et praecipuis Praelatis et subditis, sublimibus pariter atque imis. Scilicet Ecclesiastico gregi pastorum suorum Deus suis canonibus non modicam turbationem ingesserat et dolorem magnum, [f. 11 v°] tamen affert sibi loetitiam grata subrogatio successorum, praesertim cum in substitutione non inter-

venit tarditas, et voluntatum communio intercedit. Sanae foelicis recordationis Innocentio 4° Papa praedecessore Nostro septimo idus Decembris in regno Siciliae in civitate Neopolitana de augusto et tetro carnis carcere vocato sicut speramus ad spatiosum et nitidum coeli palatium, iste de multis laboribus quod pro Ecclesiae honore ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternam. Ac deinde ipsius solemniter celebratis obsequiis, eiusque corpore prout decuit honorifice tumulato, nos tum Ostiensis et Veletrensis Episcopus et caeteri fratres nostri mox pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentem ad Dominum ut gregi suo pastorem idoneum consueta misericordia largiretur; cumque, ut moris est, Spiritus Sancti postulato suffragio, vota diligenter exquisita fuissent, in nos demum suum converterunt intuitum, direxerunt animos et conceptos expressere et firmavere consensus, praelegentes in dignitatem nostram ad exequutionem tantae officium dignitatis, cum nostrorum parvitatem meritorum deceret subesse potius quam tanto culmine praesidere ; nos autem nostram attendentes imbecilitatem et insufficientiam cogitantes, pensantes quoque tam graviter sarcinae molem, et tanti honoris magnitudinem advertentes, nimium trepidavimus, validoque membra nostra obriguere pavore, ac intra nos cor nostrum vehementi quasi stupore gelavit, et eorumdem intentioni fratrum pro posse restitimus contra concordes ipsorum affectus plurimum reluctantes, renuendo prorsus ad summi Pontificatus apicem sublimari, et exorando instanter ut imponerent alii onus istud. Ipsi vero proposito fortius insistentes, nostra recusatione ac depreca- [f. 12 r°] tione omnino repulsa, personam nostram quantumcumque renitentem quadam violentia coegerunt et extensis in me manibus ad assentiendum eorum desideriis nos pertinaciter attraxere. Unde ne divinae videremur Providentiae obviare, suaeque dispositioni ibidem proterve difficultates inferre ac ne scandali vel dissensionis materiam praeberemus, devicti dura et ferventi praedictorum fratrum instantia vobis ad ultimum quamquam inviti requirentibus eorum submittentes nostrae debilitatis humeros ad postulatum, non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia de illius speramus auxilio, qui pro Eo laboranti dat ferre iugum suaviter et leviter onus suum, qui affluenti bonitatis suae irrigua sperantium in se pectora largiflue compluit et foecundat, qui balbutientium linguas suae virtutis potentia eloquentes efficit et facundas ; nam quia nostram recognoscimus imperfectionem, propter quod alienis subsidiis potissime indigemus, ad sin-

ceram devotionem vestram confidentes recurrimus, vestraque suffragia fiducialiter postulamus, rogantes vos et attente exorantes, quatenus sedula nos apud Deum intercessione quietis in preces solventes linguas et in iuges pro nobis orationes, labia exercentes expetitionis affectibus, supplicantes ad coelum dirigite, ac sine intermissione nos Deo sacris vestris interventionibus commendate et crebra ob hoc munera et sacrificia offerentes, ut super nos imbrem gratiae suae pluat et rorem quae benignitatis infundat, nos actusque nos nostros dirigite ad ipsum, Ecclesiam suam quam nobis committere voluit salubriter regere ac de universo ipsius grege vigilantiae nostrae credito, curam gerere debitam, iuxta suum beneplacitum valeamus. Nam cum sitis [f. 12 v°] de curis saecularibus eruti et de mundi rhitibus expediti, commodius et frequentius insistere orationi potestis, et contemplationis alis ad supplicandum et colloquendum de Deo levius et expeditius elevaris. Orabis insuper ut conditor orbis et Dominus prostratis guerrarum et inimiciarum fletibus, pacis impertiatur tranquillum, matrem Ecclesiam protegat et exaltet. Et ei adversos ipsius humiliet inimicos. Nos vero quia semper vestri Ordinis amatores extitimus, et honoris et boni sui fervidi zelatores firmiter in animo gerimus vos et eundem Ordinem paterna benevolentia confovere, vobisque continue opportunis adesse praesidiis, et vestrorum ac eumdem Ordinis statum congruis roborare gratiis et assidue in melius adiutore Domino conservare.

Datum undecimo Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo ».

Ex Mss. anni 1279 abbatiae Mussipontanae (Pont-à-Mousson, in Lotharingia), in-16°.

18

1256. Liturgica

Ex J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 225 :

« Ut in omnibus Ecclesiis Ordinis in principio horarum ipsius beatae Virginis illa gloriosa salutatio angelica « Ave Maria gratia plena, Dominus tecum », a Sacerdote Hebdomadario praemittatur, et a Conventu finiatur. Item ut quolibet Sabbato in Vesperis beatae Virginis, dicto Capitulo, Quasi cedrus, solemniter cantetur : Res-

pons. : Gaude, Maria, cum vers. : Gabrielem Archangelum. Gloria Patri, et Prosa : Inviolata, integra, et casta, cum reliquis more solito. Insuper ut in omnibus vigiliis festorum eiusdem beatae Virginis ieiunium ab omnibus servetur. Et qualibet die, post Completorium, Antiphona : Ave Regina coelorum, quando eadem Antiphona ad Canticum, Nunc dimittis, dicta non fuerit, devote cantetur. Et iidem Praemonstratenses consequi volentes Indulgentiam viginti dierum, quas Ioannes 22. Pontifex supremus concessit omnibus dicentibus Psalm. : Loetatus sum in his, cum Vers. : Fiat misericordia tua Domine super nos. Esto nobis Domine turris. Fiat pax in virtute tua, etc. cum orationibus : Hostium nostrorum, et : Deus a quo sancta desideria, et aliis per ipsum ordinatis (lib. 3. Extravag. tit. II. de celebrat. Miss. cap. Discipulorum) in maiori Missa statim post Pater noster ».

19

1260. De qualitatibus requisitis in vestiendis

Ex J. LEPAIGE, l. c., p. 25 :

« Nullus ad habitum nostrae religionis recipiatur seu ad professionem admittatur, nisi sciat distincte legere et clare beneque intelligat et declaret ea quae legit, hoc est, in grammaticalibus sit sufficienter instructus, et latinam calleat linguam ; praecipiturque in virtute salutaris obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus et singulis abbatibus et praelatis ut neminem penitus admittant, nisi sit sufficienter instructus, ut supra ».

20

1261. De paupertate sectanda

Ex J. LEPAIGE, l. c., p. 301 s. :

« Sub Ioanne Abbate Praemonstratensi [1]) sancitum fuit : Ut

[1]) Ioannes iste est celeber Ioannes de Rocquigny, abbas Praemonstrati aa. 1247-1269. De eo dicitur: « Praefuit sanctissime, pacifice et amplissime ». Fundator fuit Collegii Praemonstratensis Parisiensis. Cfr. Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, pp. 92-97; E. BROUETTE, *Obituaire de l'Abbaye de Bonne-Espérance*, in *Anal. Praem.*, XXXIX, 1963, p. 298, n. 77.

Praelati, qui subditis suis seipsos bonorum operum exemplum praebere debent, curent voluntariam amplecti paupertatem, vanitates omnes ac superfluitates in vestibus, itineribus, comitatu et cubiculorum ornamentis resecando, et etiam in victu, quatenus breviori via subditos suos ad perfectionem conducere possint. Imo Statuta nostra Praem. cap. 10. dist. 2. praecipiunt, ut Abbas pecuniam numeratam, quam a Provisore exteriorum reciperet, custodiat, cum necesse fuerit in expensis seu usibus Monasterii refundendam. Et Petrus Venerabilis Abbas, et generalis Praepositus Cluniacensis [2]), epistola 16. lib. 5. ad sanctum Bernardum Claraevallensem fatetur secum in solitum ferre pecunias, sed ad opus eleemosinae, literas, inquit, vestras statim recondi, et argenteis sive aureis, quod pro more mihi a Patribus relicto, ad opus eleemosinae mecum ferre soleo, adiunxi ».

21

1262. Osterhovienses defenduntur

C. L. Hugo, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 464 haec tradit : « Dietboldus (abbas Osterhoviensis) [1]), anno 1262 in Capitulo generali conquestus, quod Passaviensis [2]) Episcopus Canonicos Osterhovienses ab administratione Parochiarum reiceret : Ioannes, Abbas Praemonstrati [3]), nomine Capituli generalis scribit et exponit Episcopo, quod institutum et privilegia Ordinis violet excludendo Fratres a Parochialibus Ecclesiis, quarum Ius patronatus habent, a quibus licitum est per Cano-

[2]) Cfr. de Petro Venerabili, abbate Cluniacensi: J. Leclercq, *Pierre le Vénérable*, St-Wandrille 1946; St. Hilpisch, *Petrus Venerabilis* in *Lex. für Theologie und Kirche*, t. 8 (1963), col. 383. — Litterae Petri Venerabilis editi habentur apud Migne, *Patrologia Latina*, t. CLXXXIX, coll. 61-508. Inter has Epistolas plurimae directae dicuntur S. Bernardo.

[1]) Osterhovium situm erat in dioecesi Passaviensi (Passau), in Bavaria. Aa. 1260-1262, praepositus monasterii erat Dietboldus. Cfr. N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 43-45. Nomen huius Praepositi hic scribitur: Diepold.

[2]) Osterhoviense monasterium pertinebat ad dioecesim Osterhoviensem. Episcopus, a. 1262, erat Otto von Lonsdorf (1254-1265). Cfr. J. Oswald, *Passau* in *Lexicon für Theologie und Kirche*, 2a ed., t. 8 (1963), col. 140.

[3]) Abbas Praemonstratensis tunc erat Ioannes de Rocquigny. Cfr. supra, n. 1 ad 1261.

7 A 246

nicos Ordinis deserviri. Hac Epistola placatus Praesul et privilegiorum inspectione convictus, conquievit ab omni inquietatione ».

22

1270. De suppressione Monialium in Ordine

Refert C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 83 : « Capitulo Generali 1270 (Walterus de Orbais, abbas Floreffiensis) [1]), praesens promovit pro viribus suppressionem Monialium in toto Ordine : hinc manavit decretum de non admittendis ultra ad habitum, sed admissae permitterentur in habitu emori » [2]).

23

1271. Moniales de Wouw a Capitulo Generali in Ordine admittuntur

« Ce fut au Chapitre général de 1271, tenu sous la présidence de l'abbé Guerric de Prémontré [1]), que le parthénon de Wouw [2])

[1]) Walterus de Orbais seu Orbaix abbas fuit Floreffiensis (Floreffia, dioec. Namurcensis) aa. 1268-1280. Cfr. V.-J. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, Namurci, 1880, pp. 128-136.

[2]) Origo statuti Cap. Gen. anni 1270 ita describitur a BARBIER, l. c., p. 128 s.: « Au chapitre de 1270, il sollicita la suppression des religieuses de l'ordre. Leurs maisons dont le nombre devint fort considérable, étaient pour la plupart peu éloignées des abbayes d'hommmes, et souvent même, dans l'origine surtout, les deux communautés ne se trouvaient séparées entre elle que par un mur mitoyen. Dès l'an 1137, les inconvénients d'un pareil voisinage portèrent l'abbé Hugues de Fosses, ..., à faire décréter... qu'à l'avenir aucun couvent de femmes ne serait établi à moins d'une lieue des abbayes, et il transféra aussitôt à Fontenelle celui de Prémontré. En 1270, d'autres motifs firent proposer la suppression même de ces maisons. On était obligé d'employer à leur gouvernement et à leur direction spirituelle un grand nombre de sujets qui auraient travaillé fort utilement à l'instruction du peuple conformément à l'une des fins principaux de l'institut... Le chapitre rendit un décret portant qu'on n'admettrait plus les personnes du sexe à professer la règle de s. Norbert... Plus tard, on revint sur cette mesure rigoureuse, et il se conserva toujours un certain nombre de couvents de norbertines ». Cfr. A. ERENS, *Les Sœurs dans l'Ordre de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, V, 1929, pp. 10-12.

[1]) Guerricus abbas fuit Praemonstrati aa. 1269-1278. Cfr. Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 97.

demanda et obtint son adhésion à l'Ordre. La haute direction du Chapitre définit sans tarder que le père-abbé sera l'abbé-général de Prémontré, qui instituera à sa place un prévôt pour présider à la direction temporelle et spirituelle. Si un prévôt donne moins de satisfaction, le père-abbé pourra le remplacer. Il est statué enfin que le père-abbé ne peut toucher aux biens de la communauté ni les faire servir au profit de son abbaye ». Ita A. ERENS, *Les Sœurs dans l'Ordre de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, V, 1829, p. 20.

Decretum incorporationis dicti monasterii Monialium, a Capitulo Generali hac occasione sancitum et publicatum, editum fuit a A. ERENS, in *Anal. Praem.*, IV, 1028, p. 22 s. Et est huiusmodi :

« G. divina paciencia Premonstratensis abbas, et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, universis presens scriptum visuris salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod Servatius de Breda, lator presentis, Dei cultum desiderans ampliare, congregationem sororum nostri Ordinis in dominio terre de Breda, loci qui dicitur vallis sancte Katherine, Leodiensis dyocesis, Deo sibi inspirante, collegit, propriisque laboribus et expensis ipsum locum bonis multis temporalibus competentibus ad presens dotavit ; in votis habens firmiter, quod plures adhuc debeat ibidem, si vixerit, procurare, pro quo facto digne meruit, quod auditis eius precibus, suo potiatur desiderio, et locus ille pro quo postulat, incorporetur totaliter nostro Ordini cum personis. De consilio igitur nostri capituli generalis, locum quem fundavit dictus Servatius et personas in nostrum suscipimus ordinem integraliter et incorporamus totaliter nostro ordini, et prepositurum ibidem decernimus fieri tempore procreandam oportuno, et quoniam non minor est virtus, quam querere parta tueri, ne contingat illam novellam plantationem, cui adhuc irrigatio necessaria est, in salsuginem redigi ab insufficientia habitatorum eius, si prefatus Servatius, suscitato preposito, manum de dicto loco deponere cogeretur invitus, presentis tenore communi consensu dicto Servatio concedimus et volumus quod, quam diu vixerit voluerit et potuerit, omnium bonorum temporalium ibidem regimen habeat et cum pater abbas dicti loci ibidem venerit et de statu temporalium

[2]) Wouw est locus in quo fundatum fuit hoc asceterium Monialium. Wouw situm est in Hollandia meridiana; postea idem asceterium sedem fixit in civitate Bredana, et tandem in Oosterhout, ubi sub nomine Vallis S. Catharinae, ad nostras usque dies floret. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 326-330.

scire voluerit, predictus Servatius eidem intimabit secundum ordinis instituta ; hoc salvo, quod cum dictus Servatius ex hac vita subtractus fuerit, prepositus dicti loci, qui per Patrem Abbatem ibidem pro tempore fuerit institutus, regimen et administrationem bonorum tempore fuerit institutus, regimen et administrationem bonorum temporalium habebit in domo praedicta et in aliis locis et rebus pertinentibus ad eamdem libere et quiete ; nec heredes ipsius S. (ervatii) post mortem eiusdem in eadem domo vel alibi in aliis ad domum pertinentibus supradictam aliquod poterunt reclamare ; et si predictus Servatius de bonis ipsius domus plus receperit quam expenderit, illud convertet, in usus domus eiusdem fideliter et expendet. Patrem vero Abbatem ad petitionem dicti Servatii dicto loco assignavimus abbatem premonstratensem, qui loco suo in predicto loco prepositum instituet, qui presit in spiritualibus, nec ad temporalia vivente Servatio, manum mittet. Si autem substitutus a dicto abbate prepositus minus utilis inventus fuerit, poterit subrogare pater abbas. Porro praedicta domus sororum habebit possessiones suas per se nec pater abbas poterit eas distrahere vel suae ecclesiae usibus mancipare. Actum Premonstrati in Capitulo generali anno Domi, i M°CC°L°XXI ».

24

1273. Varia decreta

E ms. Nancy, 994.

[f. 3 v°]. 1. *Praeceptum de celebranda bis saltem in hebdomada Missa.*

« Anno Domini 1273, statuerunt abbates ut universi sacerdotes Ordinis ad minus bis in hebdomada celebrarent Missas suas nisi in via directi fuerint vel infirmi seu alio iusto impedimento detenti, de quibus Prioribus seu Supprioribus constiterit evidenter quare non potuerint seu debuerint celebrare, iisque iniungitur ut circa haec sint valde solliciti. Quod si praedicti sacerdotes sic facere contempserint vel neglexerint, pro omissione qualibet feria 2a, 4a, et 6a ieiunent in pane et aqua ».

2. *Qualibet feria 6a ieiunandum, nisi obstet infirmitas.*

« Item ob reverentiam et honorem passionis Domini nostri Iesu

Christi sub eadem poena statuimus ut universi professi de Ordine nostro sive canonici sive conversi ieiunent qualibet sexta feria per annum, nisi gravi infirmitate detenti fuerint seu gravibus negociis occupati ».

3. *Sub poena gravi prohibetur solvere exactiones quae ab Episcopis contra Ordinis privilegia fiunt.*

« Item statuimus ut si aliquas exactiones ab Ecclesiis nostris Ordinis ex parte Archiepiscoporum, Episcoporum, seu etiam Archidiaconorum de caetero contra nostri Ordinis privilegia exigantur, nullatenus persolvantur sed convocato Abbatum et Praepositorum coetu illius Circariae in qua hoc evenire contigerit, eorumque habito consilio totis obsistantur viribus et singulis prohibeatur ne sub poena transgressionis et praevaricationis privilegiorum et statutorum Ordinis, quicquam petentibus Episcopis conferant ».

4. *Diffamatores Praelatorum ad Ecclesias valde remotas emittendi, illic per 50 dies poenas gravioris culpae subituri et per decem annos mansuri exsules.*

« Item cum inter diffamatores fratrum Ordinis et Abbatum, in statuto de diffamatoribus [1]) nulla differentia sit expressa quamvis maior sit excessus diffamare praelatos quam subditos, proindeque poena gravior culpis gravioribus debeat adhiberi ; statuimus ut quicumque Ordinis nostri Praelatos super gravi et peremptorio accusaverint nisi probaverint legitime quod proposuerunt, vel qui alias praelatos suos diffamaverint graviter, ad Ecclesias valde remotas in poena gravioris culpae quinquaginta dierum emittantur, ibidemque per decennium moraturi ».

5. *Recusantes acceptare officium, ab omni officio excludantur toto vitae tempore et simili poena feriuntur qui confessariis Praelato approbatis non fuerint confessi.*

« Item cum quidam fratres Ordinis nostri adeo sint obstinati ut suscipere recusent officia quae a suis Praelatis eidem fuerint iniuncta, statuimus ut quicumque officium sibi a Praelato impositum suscipere renuerit aut susceptum proterve dimiserit, vel exequi neglexerit sicut decet, careat obedientia nominata et omni officio toto tempore

[1]) De diffamatoribus agi ur in Statutis, dist. 3ae, cap. 9°.

vitae suae, nec vocem habeat in Capitulo, nec in accusatione sui ipsius, nisi per Dominum Praemonstratensem vel Generale Capitulum ad intercessionem proprii Abbatis cum eo fuerit misericorditer [f. 4r°] dispensatum. Eadem poena ligantur illi qui relictis propriis Praelatis vel illis quibus dicti Praelati commiserint vices suas extra Ordinem vel intra cuicumque confiteri praesumpserint, dummodo possint habere copiam eorumdem ».

6. *Curatos ob morum dissolutionem ad claustra revocatos, et non parentes ad remotas Ordinis domos remittendos esse, statuitur inde numquam reversuros, et poena gravioris culpae per dies 40 subiciendos.*

« Item cum in plerisque Ecclesiis nostri Ordinis multoties contingat quod fratres Curati in parochialibus adeo sint insolenter dissoluti seu inobedientes Praelatis quod propter eorum dissolutionem, insolentiam et inobedientiam totus Ordo diffametur, propter quod ipsos ad claustra propria revocare, disciplinam Ordinis recepturos ad mandatum propriorum Abbatum maxime eo modo quod parochias resignent ut alii loco ipsorum in iisdem Ecclesiis collocentur, statuimus ut tales qui Praelatis suis inobedientes fuerint in hoc casu excommunicentur in Capitulo Generali et in qualibet Ecclesia Ordinis ter in anno, necnon in poena gravioris culpae quadraginta dierum spatio ad remotas Ecclesias emittantur, non reversuri nisi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale dispensati ; qui cum redierint vocem non habeant in Capitulo, et careant obedientia nominata et omni officio toto tempore vitae suae, nisi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale ad intercessionem propriorum Abbatum eis fuerit misericorditer indultum ».

7. *De rasuris canonicorum nova indulgentia.*

« Item in augmentum gratiae hoc solum statutum est quod una rasura fiet praeter consuetas tertio nonas Iulii, alia decimo quinto Calendas Augusti, et alia Calendas Augusti. De rasura caetera observentur sicut in statuto de rasuris praescriptum est » [2] [3].

[2] Hic alluditur ad caput Statutorum, in quo determinatur quando rasurae occasio detur in monasteriis.

[3] Ex dictis in hoc Capitulo, nr. 3, H. LENTZE, O. Praem., haec deducit: « 1273 erkannte das Generalkapitel die Kapitel der Zirkarien ausdrücklich an und bestimmte, dass auf einer Versammlung der Aebte und Pröpste einer Zirkarie

25

1279. Puncta diversi generis

1. *Ms. Nancy 994*, f. 4 r° - 6 r° satis multa refert de Capitulo Generali anni 1279.

[4 r°]. « Decreta Capituli Generalis anni 1279. Sub Aegidio [1]) abbate Praemons.

Cum piae desiderium voluntatis et laudabilis difinitionis intentio sint sacerdotalibus semper studiis adiuvanda, cura est sollicitudini adhibenda, ut ea quae pro quiete religiosae conversationis sunt disposita vel etiam ordinata, nec dissimulatio neglegentiae, nec ulla praesumptio valeant perturbare sed sicut ratio exigebat, obtinuit definiri, ita quod iuste definitum est, non debet aliquatenus violari. Verumtamen cum cautum reperiatur expresse quod sicut praedecessorum statuta legitima et iusta successores custodire tenentur, ita debent quae malefacta sunt corrigere et quae nimium rigorem continent temporare eo quod praedecessores suis successoribus pari imo eadem potestate functuris talem legem imposuisse nequiverunt, eorum fuerit intentio successorum potestati in aliquo derogari cum non habeat par in parem imperium. Nos tam rationibus [f. 4 v°] quam Canonibus informati quae a praedecessoribus regulariter sunt tentata aut rationabiliter custodita, volentes illaesa servari, quae minus iuste aut rationabiliter fuerunt edita vel hactenus observata intendimus immutare, rigorem nimium convenienter temperando ».

a. *Praelati qualiter corrigere debent subditos.*

« Summopere enim Praelaii omnibus cavendum est ut in subditorum correctionibus nec rigor sit nimis rigidus nec mansuetudo nimium dissoluta, cum in illis nec zelus rectitudinis sine mansuetu-

(convocato abbatum et praepositorum coetu illius circariae) Massnahmen gegen Uebergriffe der Bischöfe und Archidiakonen sowie gegen sonstige Angriffe auf die Privielgien des Ordens beschlossen werden sollten ». H. LENTZE, *Die Verfassung des Prämonstratenserordens und die Wandlungen im weltlichen Bereich*, in: *Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht*, X, 1959, p. 84; *Studia Wiltinensia*, Oeniponte, 1964, p. 3 s.

[1]) Aegidius van Biervliet, abbas S. Michaelis Antverpiensis, abbas Praemonstrati, a. 1278; e munere cessit a. 1281, rediit ad S. Michalem Antverpiensem, ubi moritur a. 1286. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 528; Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 98.

dine, nec lenitas mansuetudinis sine severitate rectitudinis debeat inveniri ».

b. *Poena contra diffamatores Superiorum temperatur.*

« In primo igitur Capitulo de gravi culpa circa finem versiculi : *Quia vero quidam malitiose*, etc., statuimus ut quicumque *Abbatibus, Prioribus, Supprioribus, Circatoribus verba contumeliosa dicunt culpa graviori viginti dierum subdantur. Si conquerens iurare voluerit ita esse Abbas, vero non iurabit in hoc casu et* infra usque ad versiculum *Statuentes*, etc., hoc Capitulum penitus renovavit. Caveant tamen talia praesumentes quia si super praemissis vehemens praesumptio habeatur quantum regulate poterit fieri contra ipsos statuimus procedendum ».

c. *Poena percussorum in sacerdotes mitigatur.*

« Item in Capitulo circa finem versiculi : *Qui autem solus solum percusserit subito motu irae, si a percusso accusatus negaverit, et si contra ipsum accusationis vehemens praesumptio habeatur a bonis*, addatur ibidem : Si super hoc graviter fuerit diffamatus nec probari potuerit percussio contra ipsum, purget se. Versiculus qui sequitur immediate videlicet et qui aliquem solum percusserit secreto stabitur iuramento conquerentis, penitus revocatur.

Item in Capitulo de fratribus emittendis versiculum illum qui solus solum percusserit censura simili, revocamus ».

d. *Statutum de non recipiendis denuo Sororibus confirmatur.*

« Item statutum de receptis Sororibus quod sic incipit : *Docente historia Dist. 4° et Statutum de non recipiendis Sororibus quod incipit : nulla mulier*, firmiter observetur, aliud statutum de hac materia loquendo (sic !) penitus revocatur ».

e. *De non convocandis personis saecularibus ad electiones celebrandas nisi a toto conventu desiderentur, sub poena excommunicationis.*

« Item Capitulum vel Statutum de Convocatione virorum peritorum et personarum saecularium ad electiones celebrandas prohibitum — 4a dist. — quod incipit : *Cum saecularis* totaliter immutamus, statuentes ut quicumque de Ordine nostro ad electionem vacantium ecclesiarum saeculares personas duxerit convocandas, nisi in toto Conventu vel a maiori parte ipsius et regentis Ecclesiam

expresse concurrente assensu fuerint. Convocatae excommunicationis sententiae subiaceant ipso facto, donec perfractores huiusmodi, si resipiscant, absolutionis beneficium meruerint obtinere, corporali prius habito iuramento quod poenam sustinebunt, quam Dominus Praemonstratensis vel Capitulum Generale [5 r°] propter hoc duxerint infligendam, et hoc rectoribus earumdem ecclesiarum electionum iniungitur sub poena suspensionis referre ad immediate sequens Capitulum Generale.

f. *Poena eorum qui visitatores recusant, illosque vel illorum capellanos spoliantur vel verberant.*

« Illi autem qui visitatores Ordinis ad se missos recipere recusaverint, nec permiserint eos visitationis officium exercere, et illi maxime qui convocationes in visitationibus fecerint, vel eisdem visitatoribus damna rerumque suarum gravia intulerint seu eisdem procuraverint spoliari, et quique eos seu capellanos eorum verberaverint, hoc adiuncto quod si saeculares servientes in eadem ecclesia in qua huiusmodi fuerint perpetrata interfuerint, vel huiusmodi perpetraverint ab omni servitio illius Ecclesiae fiant penitus alieni. ».

g. *Esus carnium infirmis praescribitur.*

« Statutum antiquum de Esu carnium I dist. quod incipit : *Infirmi qui sunt in infirmitorio* firmiter observetur, hoc adiuncto quod dicitur ibidem vel vehementer praesumatur, addatur *gravi infamia praecedente*, *Statuto novo* quod incipit *Rigor Canonum*, penitus revocato ».

h. *Statutum de infamatoribus instauratur.*

« Statutum de infamatoribus antiquus in 3a (4a) Dist. quod incipit : *Si quis per conspirationem*, etc. firmiter observetur, statuto novo quod incipit : *Censura canonica*, penitus revocato.

Item Statutum de percussoribus et diversis malefactoribus quod incipit : *Cum plures* usque ad versiculum : *ob saltum* penitus revocamus ».

i. *Praeceptum de celebrando ter in hebdomada Missae sacrificio abrogatur.*

« Item Capitulum quod quilibet Sacerdos teneatur celebrare

ter qualibet hebdomada, suod incipit sic : *Statuimus ut universi* [2]) totaliter revocamus. Caveat tamen quilibet sacerdos ne nimis neglegens vel tepidus exsistat in divinis officiis celebrandis prout decet religiosum. Alioquin secundum arbitrium Praelatorum suorum puniantur nisi causam praetendant efficacem quare non voluerint aut non debeant celebrare ».

j. *Antiqua poena contra fratres spoliatores domuum suarum aboletur, et in carcerem commutatur.*

« Item in Capitulo de fratribus ecclesias Ordinis spoliantibus in 4 dist., quod incipit ita : *Cum aliqui*, etc. poenam emissionum dictis spoliantibus impositam cum caeteris quae sequuntur ibidem penitus abolentur. Statuentes tales spoliatores ecclesiarum Ordinis carceri mancipandos prout deliquerint plus vel minus nec exeant carcerem sine consilio Capituli generalis. Hanc poenam extendentes ad illos qui tales excessus perpetraverint propter quos per antiqua Statuta ad remotas Ecclesias debeant emitti perpetuo ibidem moraturi ».

[5 v°]. k. *Prohibetur Praelatis ne suas per saeculares presbyteros faciant parochias deservire.*

« Item in Capitulo de Canonicis parochialibus quod incipit : *Cum ad haec*, versiculum illum : *Concedimus autem Abbatibus parochiales ecclesias habentibus ut eas presbiteris saecularibus faciant deservire*, et caetera quae sequuntur totaliter revocamus ».

l. *Vetitum Praelatis sub poena suspensionis et excommunicationis recipere ad professionem illegitime natos.*

« Item in Capitulo de poena Praelatorum recipientium illegitime natos in 4a Dist. quod incipit sic : *Cum statutum sit*, etc., inhibetur sub poena suspensionis latae sententiae omnibus Praelatis ordinis nostri ne ipsi quoscumque illegitime natos de caetero in Ordine recipiant. Quod si receperint praedictam suspensionis sententiam sustineant quamdiu ipsos illegitimos contigerit retineri ; quibus eiectis ad executionem suorum officiorum redeant sicut prius, poena ad quam tenebantur per primum statutum penitus revocata ».

[2]) In Capitulo Generali anni 1273, statutum fuerat sacerdotes celebrare debere S. Missam bis saltem in hebdomada. Cfr. supra, p. 26.

m. *Visitatores non debent informationes factas in secreto revelare Abbatibus, nisi pro defensione ipsorum fuerit necesse.*

« Item cum in statuto Domini Papae contineatur expresse quod inquisitiones fieri debeant in secreto, firmiter inhibemus ne visitantes Ecclesias nostri Ordinis seu capellani eorum, Abbatibus earum quas visitaverint vel quibuscunque scedulas inquisitionum suarum mittant seu nomina deponentium quoquomodo revelent. Tales enim tanquam revelatores secretorum Ordinis decernimus puniendos, salvis tamen iis quae ad defensionem Abbatum per Statuta Ordinis sunt specialiter reservata ».

n. *Poena frangentium silentium, atque eorum qui non proclamant frangentes.*

« De silentio sic statuimus observandum ut quicumque scienter silentium fregerit in locis inhibitis, si inde proclamatus non fuerit et in confessione sua privata humiliter veniam petierit ab abbate suo poena sibi competens imponatur. Hoc idem de audientibus frangi silentium et inde non proclamantibus decernimus observari in reliquis statuto priore de silentio observando in sui permaneant rigore ».

o. *Dispensantur minuti a Completorio et collatione ea die excusantur.*

« De minutione indulgemus quod 3a die minutionis minuti ad collationem et Completorium ire minime teneantur, et quod ipsis diebus minutionis ad arbitrium regentis conventus recreatio fiat eisdem ».

p. *Hymnus O lux, beata Trinitas cantandus usque Adventum.*

« Item cum a prima Dominica qua cantatur : Deus Creator omnium, usque lam Dominicam Adventus Domini singulis Dominicis in Missa Praefatio de Trinitate cantetur, statuimus ut illo omni tempore in Sabbatis et Vesperis loco hymni *Deus Creator omnium* hymnus O Lux beata Trinitas decantetur ».

q. *Ritus Matutinarum in festis III Lectionum.*

« Statuimus ut in festis Sanctorum trium Lectionum absque nocturno novem psalmi cum novem antiphonis officio Sanctorum congruentibus cum Hymno *Te Deum laudamus* cantetur ad matutinas

prout per solemnes octavas Sanctorum fieri consuevit et ad Missam Gloria in Excelsis ».

[6 r°] r. *Antiphona Da Pacem quando cantanda.*

« Statuimus ut de caetero ad Vesperas et matutinas canonicas Antiphona *De Pacem* cum versu *Fiat pax*, et cum collecta *Deus a quo*, etc. omni tempore, exceptis tantummodo festis Duplicibus, decantetur. Caeteris vero horis, in fine collectae, et ad ultimam collectam Missae, clausula ista, *et pacem nostris concede temporibus, subsequatur* ».

s. *Privati voce, non possunt in electionibus Praelatorum habere votum suum, nisi de conventus consensu.*

« Quia nonnulli, pro diversis excessibus sua voce privantur, aliquoties in perpetuum, et interdum ad tempus, statuimus ut ipsi privatione durante, si interim Ecclesia sua Praelato vacare contigerit, ad electionem si praesentes fuerint, vocem suam non habeant, sed potestate careant eligendi ; quod si forsitan absentes fuerint, ad electionem huiusmodi non vocentur ; hoc tamen adhibito moderamine, quod quis exigentibus meritis ad intercessionem totius conventus, vel maioris partis eiusdem, accedat ad actum electionis illius, circa ipsum poterit misericorditer dispensare ; nec valeat restitutio vocis, nisi habeat litteras Domini Praemonstratensis aut proprii Abbatis ».

t. *Lacticiniis uti permittitur viatoribus, tempore Adventus ; ieiunium frangere prohibetur.*

« Concedimus quod singuli professi nostri Ordinis per Adventum Domini, ex quibusdam causis vel negotiis de propriis monasteriis exeuntes, lacticiniis uti possint, dum tamen illi apud quos diverterint, eisdem cibis vescantur ; caveant tamen, ne ieiunium ipsum, quacumque de causa, audeant infringere, plusquam semel in die, per totum Adventum, ubicumque sint ».

u. *Statuta Capitulorum generalium, non ut antiquitus, a Praelatis in propriis domibus, sed a Visitatoribus promulgentur.*

« In Statuto de Annuo Capitulo, in 4a dist. cap. 1, ante finem versiculi illius : *denique statutum est*, ut Abbates de Generali Capitulo redeuntes, eodem die quo primum regressi fuerint, Capitulo suo institutiones Generalis Capituli eo anno editas recitent et promul-

gent, alioquin ab eodem die cessent a divinis quousque fuerint recitae. Hoc statutum immutantes, statuimus ut antiqui visitatores per quamlibet Circariam deputati in qualibet Ecclesia [6 v°] Constitutiones Capituli Generalis eo anno editas recitent et promulgent, cum ad eas vel per eum quamlibet descenderint visitandas, praecipientes eadem authoritate Generalis Capituli a fratribus nostri Ordinis inviolabiliter observari ».

2. L. C. SAULNIER, *Statuta Candici et Canonici Ordinis Praemonstratensis renovata 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776, iteratis vicibus reflectit ad statuta in Capitulo Generali anni 1279. Inter ista, nonnulla reperiuntur quae in iis quae modo exscripsimus e ms. Nancy 994 non habentur. Scribit SAULNIER, o. c., p. 271 :

a. *De contumeliis in Superiores*. « In antiquissimo Ordinis nostri Capitulo Generali, cuius epocha nos fugit, statutum fuerat ut quicumque Abbatibus, Prioribus. Supprioribus verba contumeliosa dicerent, culpae graviori 20 dierum subderentur, modo conquerens eiusmodi verba sibi de facto fuisse dicta iurare voluisset, excepto Abbate, a quo iuramentum praestolari necesse non erat. Hoc decretum penitus revocarunt PP. Capituli Generalis anni 1279. Quo motivo ducti ? Penes lectores iudicium esto. Facile tamen crediderim ideo tale decretum aboletum fuisse, non ut contumeliosis impunitas, sed ne confratribus inimicis impunito iurandi falso liberior subministraretur occasio ; sic enim praetacti decreti revocatione subnectitur : « Taceant tamen talia praesumentes, quia si super praemissis vehemens praesumptio habeatur, quantum regulate poterit fieri, contra ipsos statuimus procedendum ».

b. *De spoliatoribus*. In Capitulo de fratribus Ecclesias Ordinis spoliantibus, in 4a Dist. quod incipit : « Cum aliquis poenam emissionis dictos spoliantibus cum caeteris quae sequuntur ibidem penitus abolemus, Statuentes tales spoliatores Ecclesiarum Ordinis carceri mancipandos, prout deliquerint plus vel minus, nec exeant carcerem sine consilio Cap. Generalis ; hanc poenam extendentes ad illos qui tales excessus perpetraverint propter quod per antiqua Statuta ad remotas Ecclesias debeant emitti, perpetuo ibidem moraturi ». SAULNIER, o. c., p. 304.

26

1280. Varia puncta

1. *Ms. Nancy, 994*, 6 v° - 7 r°.

a. *Commemoratio de Angelis fiat.*

« In primis statutum est quod diebus in quibus memoria fieri solet de Sta Cruce, fiat memoria de Angelis per antiphonam et collectam consuetam immediate post praedictam memoriam Stae Crucis ».

b. *Octava Translationis S. Augustini celebretur.*

« Statutum est quod de Translatione Sti Augustini fiant solemnes octavae et in vigilia Sti Lucae Evangelistae octavae praedictae cum novem lectionibus recitentur ».

c. *Praeceptum de silentio.*

« Praeceptum est quod silentium observetur secundum statutum antiquum et quod secundum statutum antiquum puniantur transgressores ».

d. *Operatoria in grangiis fiant. Item in qualibet Ecclesia fiat domus paupaerum.*

« Statutum est et praeceptum quod operatoria fiant in curtibus in quibus canonici nostri Ordinis commorantur. Item quod in qualibet Ecclesia Ordinis nostri fiat domus pauperum, item quod Conventus provideat secundum facultates Ecclesiarum ».

e. *Sine Patris Abbatis licentia non fiant locationes.*

« Item ne faciant Abbates locationes sine licentia Patris Abbatis ».

f. *Emissi ad alias Ecclesias quod debeant indui.*

« Item quod fratres qui emittuntur ad Ecclesias Ordinis per obedientiam, si per spatium unius anni vel amplius in illis Ecclesiis morati fuerint, induantur sicut et illi de Ecclesia in qua morantur.

Item statutum est ne Patres Abbates vel annui Circatores cogant vel cogere praesumant Canonicos nostri Ordinis ad visitandum in visitationibus suis ».

g. *Servi Praelatorum ne cultellos gerant.*

« Statutum est ne servientes Abbatem seu Praepositum praesumant de caetero portare cultellos acutos infra saepta monasteriorum nostri Ordinis ».

h. *Abbates non ducant canes nec habeant equos phaleratos.*

« Statutum est ne abbates regulares Ordinis nostri exeuntes ducant secum vel duci faciant canes cum equis phaleratis, cum inde posset damnum et scandalum et periculum suboriri ».

i. *Usus pallii Praelatis quando licitus.*

« Item concessum est quod Abbates nostri Ordinis utantur palliis sedendo in mensa, vel capiant per curiam incedendo ».

j. *Missa ante Primam sit de Beata vel pro defunctis.*

« Item statutum est quod Missa quae iam diu praecipitur cantari ante Primam de ieiunio tempore Quadragesimali sit de caetero de Sta Maria, vel pro defunctis, seu aliqua familiaris, secundum voluntatem et devotionem sacerdotis, qui praedictam Missam celebrabit ».

[7 r°] k. *Ad mutuos calices provocatio vetatur, sub poena depositionis vel emissionis.*

« Inhibitum est fratribus nostri Ordinis, tam Praelatis quam subditis, Praelatis quidem sub poena depositionis, subditis autem sub poena emissionis, ne ipsi de caetero bibere praesumant ad aequales potus, praetermissa omnino illa potatione quae vocatur Weissen ».

l. *Non fiat appellatio frivola.*

« Item inhibitum est fratribus nostri Ordinis, ne aliquis Ordinis nostri appellationem faciat nisi habeat verissimas et iustissimas causas, et nisi se sentiat gravari minus iuste, quod qui aliter fecerit, puniatur secundum quod deliquerit plus vel minus ».

m. *De caputio et barba conversorum.*

« Statutum est quod conversi nostri Ordinis habeant caputia curta et convenientia ad laborem, et barbas ordinarias, videlicet quantum supercrescere possunt per spatium unius mensis ».

2. C. SAULNIER in suo opere *Statuta Candidi et Canonici Ordinis*

Praemonstratensis renovata 1630. Ed. 3a, Luxemburgi, 1776, plura ex statutis huius Capituli modo transcriptis refert. De duobus ex his statutis animadversiones addit. Ita *de sobrietate* : « Inhibitum est Fratribus nostris, tam Praelatis quam subditis, Praelatis vero sub poena depositionis, subditis autem sub poena emissionis, ne ipsi de caetero bibere praesumant ad aequales potus, praetermissa omnino illa potatione quae « Wesseri » dicitur. — Ad quod haec addit SAULNIER, l. c., p. 128 : « Vox illa : Wesseri, quae forte correctius scribi debuisset : Vessei vel wersell, potum copiosum superfluum significat ex repetitis potationibus quibus ipse coram extincta siti fatigatur, iuxta illud : Ergo vacante scypho distincto gutture vesseil, Ingeminant veeseil, labor est plus perdere vini quam sitis, etc. ».

Etiam statutum de Fratribus conversis refert SAULNIER : Quod Conversi nostri Ordinis haberent barbas ordinatas quantum videlicet supercrescere possent per spatium unius mensis. — Ad quod haec notat SAULNIER, l. c., p. 152 : « Verum hodiernis temporibus ita e conspectu plerorumque ne dicam omnium evolavit meta illa, quam transgredi nefas iudicabant Patres nostri, ut iam Conversus tam mento quam crine aeque praeclarum caput in publicum exhiberet ac si sacerdotale meritum cerebrumque haberet ».

27

1283. Varia statuta

Ms. Nancy, 994, 7 r° - 8 r°.

Decreta Capituli Generalis anni 1283 sub abbate Guidone [1]) acceptata.

a. *Parochi rationem sui proventus reddant visitatoribus, superfluum assignentur ad abbatialis ecclesiae commodum.*

« Cum in privilegiis indultis Ordini nostro sit statutum, ut canonici in parochialibus deservientes Ecclesiis, dioecesanis de spiritualibus, et abbatibus suis de temporalibus habeant respondere, statuimus et praecipimus, ut Patres-Abbates, vel annui visitatores cum ad

[1]) Guido, abbas Praemonstrati aa. 1282-1287, antea abbas Corneti. A Summo Pontifice, ab hoc munus evocatus. Cfr. Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 99.

Ecclesias visitandas accesserint, de quantitate proventuum parochialium diligenter inquirant, et assignata dictis presbyteris parochialibus digna portione, secundum locorum et patriae exigentias, residuum Abbatibus assignent in Ecclesiarum commodum suarum convertendum ; quod si forte eorum aliqui coram iudice ordinario super hoc querimoniam deposuerint aut querimoniam moverint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrent ».

b. *Privatus stallo et voce, non debet per privatam inferioris compassionem, ad stallum superius transferri.*

« Ad auditionem Capituli nostri pervenit ut plerique fratres Ordinis nostri Canonici qui suis demeritis amiserunt secundum Statuta Ordinis primum stallum, favorem indebitum impendentes, permittunt eos super se in primis sedibus residere. Cum igitur propter transgressores lex posita sit, et parum prodesset humilibus obedientia, si contumacibus contumacia [7 v°] non obesset, statuimus quamdiu professorum impendet alicui hunc favorem, voce careat et obedientia nominata, ut is qui ut praedictum est, perdidit stallum suum, voce careat et obedientia nominata, sine omni dispensatione, donec se humiliter secundum Ordinis Statuta ».

c. *Statutum de spoliantibus sub Guerrico editum renovatur* [2]) ; *poena incarcerationis ab Aegidio* [3]) *praescripta expungitur.*

« Cum intersit sapienti consilium in melius immutare, et ad statum debitum quae sapientum discretione gesta sunt reducere, sicut dicit Statutum 4ae dist., editum tempore Guerrici [4]) Praem. Abbatis, de spoliantibus domos suas per vim saecularium personarum, in statum pristinum revocamus ; poenam incarcerationis tempore Domni Aegidii [5]) in eadem appositam penitus absolventes ».

d. *In Collecta « Propitiare » fiat memoria SS. Ioannis Bapt., Petri et Pauli.*

« Item statuimus ut in generali Collecta *Propitiare* quae in

[2]) Guerricus abbas fuit Praemonstrati, aa. 1269-1278.

[3]) Aegidius van Biervliet fuit abbas Praemonstrati aa. 1278-1281. Cfr. supra, p. 29.

[4]) Statutum sub abbate Guerrico emanatum huiusmodi notum non est.

[5]) Poena ista decreta sub abbate Praemonstratensi Aegidio habetur inter conclosiones Capituli generalis anni 1279 supra relatas. Cfr. supra, ad Capitulum gen. anni 1279, ad J. pag. 32.

Missa ultimo loco de Sanctis dicitur, addatur primitus commemoratio Bti Ioannis Bapt. et Beat. Apostolorum Petri et Pauli, et tam in prima Collecta quam Secreta et Communione in omnibus Missalibus ascribatur ».

e. *Emissi per Dominum Praemonstratensem vel Capitulum Generale, non revertantur sine eorum licentia.*

« Statuitur ut Abbatibus et Praepositis Ordinis qui Canonicos vel Conversos ad se de authoritate Domini Praemonstratensis vel Capituli Generalis emissos cum ista clausula, quod ad proprias Ecclesias sine licentia Domini Praemonstratensis vel eiusdem Capituli minime revertantur, qui sine dicta licentia remittere praesumpserint, ipso facto ab ingressu Ecclesiae sint suspensi ».

f. *Excommunicans debet nomen excommunicati et causam excommunicationis scripto redigere.*

« Quoniam ignorantia iuris in iudicibus et Praelatis inducit periculum animarum, idcirco ad vitanda pericula plurimorum qui iura canonica non noverunt, duximus statuendum, ut quicumque de caetero nostri Ordinis aliquem excommunicabit, nomen excommunicati, causam excommunicationis et excommunicationem proferat in scriptura, quod si quis de caetero contrarium fecerit ab ingressu Ecclesiae per mensem noverit se suspensum. Quodsi suspensionem durante ingerat se divinis, ipso facto irregularitatem incurret a qua non poterit liberari nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum ».

g. *Poena non solventium tallias.*

« Quoniam iustum et aequum dignoscitur, et haec nequitia consonat rationi ut qui communem cum aliis susceperint [8 r°] vitam eamdem in legibus retineant disciplinam, et alibi scribitur quod illa pars est turpis quae suo non congruit universo, ideo olim fuerit a nostris Patribus institutum, quod omnes Abbates Ordinis tallias sibi impositas transmitterent eo anno vel deferant sub poena depositionis, locis et terminis assignatis, sed quia plerique Abbates poenam huiusmodi recipere non formidant, propter hoc de communi consensu poenam duximus ampliandam, statuentes ut quicumque Abbas vel Praelatus nostri Ordinis portionem talliae suae Ecclesiae impositam, non transmiserint vel apportaverint eo anno, locis et

terminis a diffinitoribus assignatis, sit depositus ipso facto et eius subditi sint ab eius obedientia penitus absoluti ».

h. *Frustratorie appellantium poena decernitur per emissionem ad remotas Ecclesias intra decennium minime revocanda.*

« Ad reprimendam versutiam et proterviam modernorum, qui nituntur his diebus famam nostri Ordinis denigrare et Praelatos Ordinis per excogitatam malitiam infamare, et tantam malitiam fraudulenter tradunt sub appellatione remedio palliare, de consilio peritorum volumus remedium procurare. Et quia secundum iura appellationis remedium ad hoc ab antiquis Patribus est introductum ut non sit gloria perversorum, sed potius ut sit gravatis appellationis solatium est concessum ; sed quia secundum canonicas sanctiones frustratorie appellantes, poenis variis puniuntur, idcirco poena frustratorie appellantium, illorum maxime qui carent stallo proprio, propriorum Abbatum pro arbitrio reportari, idcirco, de consilio peritorum duximus statuendum ut quicumque de catero Canonici vel Conversi, appellaverint tali gravamine non praetenso vel gravaminibus, quae quidem gravamina a iudice ad quem fuerit appellatum, si legitima non reputentur, ad Ecclesias Ordinis valde remotas per decennium emittantur, infra dictum terminum ad proprias Ecclesias minime reversuri, nisi a Domino Praemonstratensi vel Capitulo Generali fuerint revocati. Quodsi filium-Abbatem contra Patrem-Abbatem frustratorie contigerit appellare, sine dispensatione qualibet a Generali Capitulo deponatur, salvis defensionibus Praelatorum, prout in Statutis Ordinis continetur, causa autem frustratoria per iudicem apparebit ad quem fuerit appellatum ».

28

1284. De pensione Abbatum cedentium

Ms. Arch. Parc., VII, 40, fol. 64 r°.

« Cum dudum statutum sit quod prelati nostri, qui ex iustis et honestis causis cedentes, pensiones annuatim habeant illud quod tempore sui regiminis suis ecclesiis acquisierunt, prout in statuto super hoc addito plenius continetur, et cum plures prelati et subditi dictas pensiones solvere contradicunt vel impediunt, quare querele domino Premonstratensi et capitulo generali sepius referun-

tur, nos igitur, predictis querelis remedium apponere cupientes, iterum statuimus ut prelati ex iustis et honestis causis de licentia Domini Premonstratensis vel capituli generalis cedentes, quilibet per conventum dicta ecclesia in qua... prefuerunt pensio annua fuerit assignata et per patrem abbatem confirmata, si abbas ibidem constitutus consenserit, de cetero illa pensio irrefragabiliter solvatur eidem. Si vero se opposuerint, stabitur ordinationi capituli generalis proximo sequentis utrum predicta pensio debeat solvi an non solvi, auditis causis et rationibus hinc et inde. Qua pensione sic assignata, si de cetero subditi se opposuerint, et impedierint, per emissionem puniantur. Prelati vero qui in hac rebelles fuerint, penam sustineant quam capitulum generale sibi duxerit infligendam ».

29

1286. Decreta Capituli Generalis apud Premonstratum

Ms. Nancy, 994, fol. 8 r° - 8 v°.

a. *Visitatoribus licitum est destituere ab officio quoslibet officiales in visitationibus.*

« Ad declarationem quorumdam Statutorum Ordinis duximus statuendum quod Dominus Praemonstratensis visitatores destinati ab ipso vel a Capitulo Generali, et Patres Abbates destitutionem officiorum possunt in suis visitationibus facere, prout dicunt nostra privilegia [f. 8 v°], Statuta Ordinis et consuetudo praescripta, ut super praemissis dubitatio oriatur in posterum, per Diffinitores Capituli Generalis dicta dubitatio declaretur ».

b. *Dominus Praemonstratensis non potest excommunicare filios Abbates nisi secundum privilegia Ordinis.*

« Praeterea statuimus quod Dominus Praemonstratensis et Patres Abbates non possunt excommunicare Abbates-filios vel subditos eorumdem, nisi secundum quod dixerint privilegia nostra, Statuta Ordinis et consuetudo approbata, dum tamen rationabiliter excommunicatio et legitime sit praescripta ».

c. *Non nisi semel in anno Ecclesiae visitari possunt.*

« Iterum statuimus ac etiam ordinamus quod Dominus Praemonstratensis et Patres Abbates non possunt quamlibet Ecclesiam Ordinis visitare nisi semel in anno nisi ab Abbate loci vel a toto

conventu vel a maiori et saniori parte conventus fuerint advocati : salvis tamen in praedictis visitationibus procedant ad inquirendum specialiter nisi quod continetur in privilegiis Ordinis et Statutis ».

d. *Quid agendum quando fratres ad Ecclesias ab hospitum receptione immunes mittuntur.*

« Statuimus ut cum fratres ad aliquam Ordinis ab hospitum receptione exemptam per Abbates proprios vel Patres-Abbates aut Visitatores annuos emittantur usque ad visitatorum annuorum adventum retineantur ibidem, non obstante exemptione praedicta. Qui visitatores hospites supradictos in suae visitationis circaria ad Ecclesias non exemptas emittant authoritate Capituli Generalis. Si autem dicta Ecclesia iam fuit visitata per Abbatem ipsius Ecclesiae ad praedictos visitatores seu alterum eorum mittantur vel emittant Ecclesiae ad praedictos visitatores seu alterum eorum mittantur vel emittant eosdem prout superius est expressum contradictorie ».

e. *Apostatarum poenae adaugentur.*

« Quia facilitas veniae incentivum parturit delinquendi, in augmentum poenarum apostatarum Ordinis qui totum Ordinem frequentius scandalizant. Statuimus ut quicumque de caetero apostataverit, emittatur remotius prout deliquit plus vel minus, et si Canonicus sit, portet scapulare griseum tanto tempore quanto in apostasia permanserit, et si Conversus fuerit, portet illud toto tempore vitae suae ; ut omnes apostatae Ordinis excommunicentur generaliter in qualibet Ecclesia Ordinis ter in anno hoc extendi statutum volumus ad eos qui ad praesens sunt in apostasia nisi redierint infra annum ».

f. *In litteris emissionum inseratur facultas emissos absolvendi.*

« Statuimus ut in emissionum litteris inseratur vobis et vestras vices gerentibus Praelatis aliis ad quorum Ecclesiam transfertur, et vices gerentibus eorumdem committimus vices nostras audiendi confessionem ipsius ac etiam eundem absolvendi ».

In hoc eodem Capitulo satis fuse sermo fuit de discordia exorta relate iura et privilegia Patrum-Abbatum inter Abbatem Praemonstrati, Guidonem [1]), et abbatem Laudunensem, Ioannem [2]). De

[1]) Guido abbas erat Praemonstrati aa. 1282-1287.

[2]) Ioannes d'Estrées, abbas Laudunensis (Laon), aa. 1279-1286. Cfr. N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 512.

compositione discordiae illius, cfr. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, pp. 1074-1079. In decursu discordiae istius ac compositione eiusdem, B. MACKIN [3]) videt primam indicationem in favorem primorum-Patrum Ordinis, qua definitorum de iure. Abbates isti erant, praeter Praemonstratensem Abbatem, abbates Laudunensis (Laon), Floreffiensis (Floreffe), et Cuissiacensis (Cuissy) [4]).

30

1288. Numerus religiosarum asceterii de Crecy

a. *Ms. Nancy 994*, fol. 24 r°.

« Par un décret du Chapitre général de 1288, il fut ordonné à l'Abbé de Belleval [1]) de ne recevoir aucune religieuse à Crécy [2]), dont il était Père-abbé jusqu'à ce que le nombre fut réduit à X ».

b. Dom U. BERLIÈRE, *Monasticon Belge*, t. II, *Province de Liège*, Livr. II, Maredsous, 1929, p. 226, scribit, anno currente 1288, episcopum Leodiensem simul ac capitulum S. Lamberti Leodiensis Praemonstratensibus Montis Cornelii (Mont-Cornillon), novum locum residentiae concessisse in Beaurepart, ubi deinceps abbatia Prae-

[3]) Cfr. B. MACKIN, *De origine Definitorii in Ordine Praemonstratensi*, in *Anal. Praem.*, XLI, 1965, pp. 193-245. In specie, l. c., p. 236, scribit: « In decreto illius Capituli Generalis anni 1286, Abbas Praemonstratensis concedit Abbati Laudunensi ut semper definitoris munere fungatur quando et quamdiu Capitulo interest. Concedit insuper illum abbatem Laudunensem cum aliis duobus primisque Patribus posthac Abbati Praemonstrati a consiliis fore in eligendis aliis Definitoribus, *prout consuevit temporibus retroactis*. Ex hac concessione clare formulata in decreto Capituli sequitur usum iam existentem nunc fieri statutum Ordinis ».

[4]) Laudunum seu S. Martinus Laudunensis (Laon; antea dioec. Laudunensia; nunc: Suessionensis seu Soissons), abbatia-filia Praemonstrati: cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 509-513; Floreffia, in Belgio, dioec. antea Leodiensis, nunc Namurcensis: cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 373-378; Cuissiacum, seu Cuissy (ante: dioc. Laudunensis; nunc Suessionensis). Cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 495-499.

[1]) Bella Vallis, seu Belval (dioec. Remensis, in Gallia): cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 57-60.

[2]) Crécy, eiusdem regionis et dioecesis ac Bella Vallis. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 64 s.; teste Backmund, iam anno 1225, numerus monialium restrictus erat ad decem.

monstratensium locata erat sub nomine Belli-Reditus [3]). Additque BERLIÈRE : « C'est sans doute à l'occasion de cet échange que le chapitre général de l'Ordre accorda, en 1288, la confraternité au chapitre de Saint-Lambert » [4]).

31

1289. Decreta Capituli Generalis anni 1289, apud Praemonstratum celebrati

Ms. Nancy 994, f. 9 r°.

a. *Privilegium Nicolai Papae de esu carnium uniformiter servetur.*

« Cum Sanctissimus pater noster Nicolaus Papa 4us [1]) super esu carnium nobis fecerit gratiam specialem ut super hoc ubique in Ordine nostro firmiter observetur, deliberatione provida duximus statuendum quod omnis professus nostri ordinis cum pro suorum ac Ordinis negotiis exierint procurandis seu amicis visitandis ea quae eis apponentur comedi valeant libere seu carnes seu pisces. In Monasteriis vero secundum dispositionem suorum Praelatorum carnibus vesci poterunt prout hactenus extitit consuetum. Illi vero qui secularibus accommodantur illa gratia uti poterunt quae exeuntibus pro negotiis locorum suorum seu Ordinis est concessa. In grangiis autem seu Ecclesiis parochialibus morantibus sub poena gravioris culpae quadraginta dierum inhibetur ne carnibus vescantur nisi in Praelatorum praesentia vel cum licentia eorumdem, omnibus aliis Statutis esu carnium hactenus editis per praesens statutum realiter revocatis ».

[3]) Bellus Reditus seu Beaurepart (civitas Leodiensis), primo residebat in monte vicino civitati, in Monte Cornelii (Mont-Cornillon). Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. II, pp. 357-360.

[4]) Actus quo illa confraternitas conceditur editus fuit a S. BORMANS, *Cartulaire de l'église Saint-Lambert à Liège*, t. II, Bruxellis, 1894, p. 446 s.

[1]) Nicolaus IV fuit Summus Pontifex aa. 1288-1292. De iis quae sub esu aut non esu carnium concesserit Praemonstratensibus, in hoc decreto Capituli Generalis clare indicatur. Quaestionem hanc exponit C. SAULNIER, *Statuta candidi et canonici ordinis Praemonstratensis renovata, anno 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776, pp. 64-65.

b. *Defendenda privilegia Ordinis communibus expensis.*

« Praecipitur universis Praelatis Ordinis sub poena depositionis quatenus si contingat aliquas Ecclesias dicti Ordinis nostri contra privilegia Sedis Apostolicae Ordini nostro concessa ab aliquibus indebite molestari, si molestatores adeo sint potentes, quod per seipsos non possint commode resistere contra ipsos, omnes Praelati illius Circariae, si de eorum omnium vel trium aut etiam saniori consilio et assensu, processum fuerit in hac causa, pro ipsorum privilegiorum tuitione subveniant aut contribuant pro Ecclesiarum statu ut illas expensas quas infra propter hoc facere contigerit restituant eisdem in sequenti Capitulo, et super istas expensas credetur eorum simplici iuramento. Quod si Abbas super hoc requisitus subvenire vel contribuere noluerit, Praelatus molestatae Ecclesiae Domino Praemonstratensi seu Capitulo Generali studeat nuntiare ».

c. *Professoribus liceat uti pellibus vulpinis.*

« Conceditur professoribus nostri Ordinis universis ut ipsi pellibus vulpinis et leporinis qui non sint nimis curiosae, possint uti et hoc inseratur in capitulo de vestitu ».

d. *Emissi non nisi a mittentibus revocandi.*

« Visitatoribus Ordinis universis inhibetur expresse ne ipsi emissos authoritate Domini Praemonstratensis aut Capituli Generalis remittere audeant seu praesumant cum eorum revocatio pertineat ad mittentes ».

32

Statuta liturgica Capitularia ante a. 1290

Pl. LEFÈVRE, *Anal. Praem.*, IV, 1928, 132-153, edidit : *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres généraux de Prémontré aux XIII^e^ et XIV^e^ siècles.* Inter decreta illa, nonnulla habentur, quae dicuntur posteriora anno 1250 et anteriora a. 1290 (cfr. l. c., p. 137). En ista decreta :

a. « Quolibet sabbato, in Vesperis beate Marie, quando cantantur in conventu, dicto capitulo : « Sicut cedrus », cantatur responsorium « Gaude Maria » cum versu « Gabrielem » et prosa « Inviolata » ; caetera more solito compleantur ».

b. « Ad honorem etiam eiusdem Virginis in omnibus ecclesiis nostri ordinis, qualibet die post Completorium, cantetur antiphona « Ave Regina coelorum », cum collecta « Protege Domine famulos » premisso versu « Ave Maria » nisi quando in festis eiusdem Virginis super « Nunc dimittis » dicta antiphona decantatur ».

c. « Qualibet die, in Vesperis et Matutinis canonicis, quando fiunt suffragia de sancta Cruce, fiat de beato Iohanne Baptista specialis memoria post patronum ».

d. « Ordinatum est quod translationes sanctorum confessorum Nicholai, septimo idus maii, et Martini, quarto nonas iulii, sicut festa celebria, cum hystoria de communi unius confessoris, secundum exigentiam temporis, celebrentur ; ita tamen quod antiphone ad *Magnificat* et *Benedictus*, sicut in aliis eorumdem confessorum solempnitatibus, cantabuntur ».

e. « Statutum est etiam quod de translatione beati Augustini, patris nostri, fiant solempnes octave, sicut in alio festo eiusdem fieri consuevit ; et quia octave huius festi incidunt in festum Luce evangeliste, anticipari debent in vigilia Luce ».

f. « Item a prima dominica qua cantatur *Deus omnium* usque ad primam dominicam Adventus, loco ymni *Deus creator omnium* ymnus *O lux beata* decantetur ».

g. « Item statutum est ut in festo trium lectionum absque nocturno novem psalmi cum novem antiphonis, officio sanctorum congruentibus, cantentur cum ymno *Te Deum laudamus* et ad missam *Gloria in excelsis*, prout per solempnes octavas sanctorum fieri consuevit. Tempore tamen paschali, tres antiphone, officio sanctorum hoc tempore congruentes, cum novem psalmis predictis, scilicet tres psalmi ad quamlibet antiphonam, cantabuntur ».

h. « Item statutum est per Capitulum generale quod qualibet dominica inter octavas Pasche et Ascensionis Domini, quando de aliquo festo non agitur, ad Matutinum tres psalmi et tres antiphone que cantantur in die Pasche, cum tribus lectionibus de expositione evangelii illius dominice, cantabuntur et tria responsoria que cantantur in dicto die Pasche, prout in dictis octavis Pasche fieri consuevit. Hystorie vero *Dignus es* et *Si oblitus* cum nocturno, prout consuetum est, per ferias cantabuntur.

i. « Statuitur ut ministri altaris, quando non ministrant in albis, in altaribus cum superpelliceis manicatis valeant ministrare. Item statuitur de presbyteris parochialibus, quando ad infirmos deferant Corpus Christi, vel quando debeant Vesperas celebrare ».

33

1291

1. C. SAULNIER, *Statuta candidi et canonici ordinis Praemonstratensis renovata anno 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776, nonnulla decreta Capituli generalis anni 1291 habet. Ita :

a. « Statuimus, ut infamatores Fratrum, et praecipue Abbatum, ter in anno excommunicentur, et si de his confessi fuerint, vel convicti, carceri mancipentur » (p. 284).

b. « Statutum ut Canonici, sive Conversi in Parochiis, vel in grangiis commorantes, si aliquod debitum ibidem contraxerint in praeiudicium Ecclesiae, per decennium emittantur, et quamdiu manserit debitum, ad Ecclesiam propriam minime revertantur ; et si enormis sit iactura, carceri mancipentur » (p. 305).

c. « Statuimus, ut quicumque de cetero ad D. Praemonstratensem, ad Capitulum Generale, vel ad Patrem-Abbatem, vel Visitatores annuos appellaverit, causas appellationis, et oneris articulos in scriptis redigat, et sub sigillo Abbatis et Conventus, ad illum, ad quem appellatum fuerit, per certum nuntium quam citius transmittantur, et quod iustum fuerit, decernatur. Si vero Abbas, et Conventus dictam appellationem sigillare noluerint, puniantur prout deliquerint, ad arbitrium illius ad quem fuerit appellatum » (p. 406).

2. S. DE LAIRUELZ, *Optica Regularium seu Commentatii in Regulam S. P. N. Augustini*, Mussiponti, 1603, p. 157, haec refert de Capitulo Generali anni 1291 :

« Ut patet ex Capitulo Generali, Cuius hac de re Decretum reperi in Monasterio Osterhoviensi [1]), in pervetusto pergamenio, quem mihi D. Voglius [2]), eiusdem Monasterii dignus Antistes dono dedit

[1]) Osterhovium seu Osterhofen, in Bavaria, dioec. Passaviensis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 43-45.

[2]) Abbas Voglius, de quo hic sermo est, est Michael Vögle, abbas aa. 1593-1604. Abbas de Lairuelz visitationes instituit, inter alias, in regionibus Germaniae centralis. Cfr. E. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 5). Averbodii, 1964, p. 83: « Dès 1601, après avoir inspecté les monastères belges, il (de Lairuelz) visita en compagnie de François de Longpré, général des Prémontrés, les abbayes de Franconie, ... François (de Longpré) et Servais (de Lairuelz) joignirent en

anno 1601. Cuius decreti tenor hic est : Statutum est etiam et praeceptum, ut Visitatores Ordinis, cum ad Ecclesias visitandas accesserint, de quantitate proventuum Ecclesiarum parochialium diligenter inquirant, et assignata dictis Presbyteris Parochialibus congrua portione, secundum loci et patriae exigentiam, residuum Praelatis suis assignent in Ecclesiarum suarum commodum revertendum. Quod si aliqui eorum coram aliquo iudice, qui non sit de Ordine nostro, super hoc querimoniam deposuerint, aut quaestionem moverint, ipso facto Excommunicationis sententiam incurrant... Est etiam aliud Decretum eiusdem Capituli Generalis ex quo id colligitur. Eius verba sunt : Statuimus ut Canonici sive Conversi in Parochiis vel in Grangiis commorantes, si aliquod debitum ibidem contraxerint in praeiudicium Ecclesiae per decennium emittantur ; et quamdiu manet debitum, ad Ecclesiam propriam minime revertantur : Et si enormis fuerit iactura debiti, carceribus mancipentur ».

34

1292

Decreta Capituli Generalis anni 1292 apud Praemonstratum celebrati

1. *Ms. Nancy 994*, ff. 9 v°-10 v°.

a. *Statutum de esu carnium.*

« Praecipitur ut statutum super esu carnium in locis prohibitis a fratribus nostri Ordinis in posterum contra delinquentes firmiter observetur prout in Ordine Statutum est expressum specialiter ».

« Item statuitur ut qualibet die in vesperis et matutinis de Sto Ioanne Baptista fiat memoria post patronum per antiphonam et collectam ».

« Item statuitur ut quolibet Sabbato in Vesperis Stae Mariae dicto Capitulo *Sicut cedrus* cantetur prosa *Inviolata* et alia notis more solito compleantur ».

Bavière leurs efforts à ceux des frères Vögele, abbés d'Osterhofen et de Windberg, qui avaient introduit la réforme dans leurs maisons; ils l'étendirent à toute la circarie bavaroise ».

b. *Usus ovorum et casei in vigiliis Apostolorum conceditur.*

« Item concedimus ut in vigiliis Apostolorum et ieiuniis quattuor temporum vescantur fratres nostri Ordinis ovis et caseo quocumque genere vocitentur ubi pisces commode non poterunt haberi. Saltem illis diebus butiro illos liceat uti ».

« Item praescribitur in Sabbati vesperis beatae Virginis hymnum *Ave Maris stella* solemniori cantari nota ».

c. *Poena eorum qui mulieres ad libidinem intra vel extra claustra complendam alliciunt.*

« Item statuitur ut quicumque de Ordine nostro mulierem in dormitoriis, Ecclesiis, refectoriis et claustris monasteriorum Ordinis ad explendam suam libidinem, ibidem convictus fuerit deduxisse, ad remotam Ecclesiam sine dilatione aliqua mittatur a Circatoribus, in eadem perpetuo moraturus, et facturus obedientiam manualem. Illi autem qui alibi infra septa monasteriorum cum mulieribus convicti fuerint deliquisse ad remotas Ecclesias emittantur ad domos proprias infra quinquennium minime reversuri ».

d. *Saeculares minime convocari debent ad electiones.*

« Item statuitur ut cum saeculares personae et maxime clerici in iure periti ab aliquibus fratribus ad electiones in Ecclesiis nostri Ordinis vacantibus celebrandas contra Statuta Ordinis convocentur, per quorum praesentiam et pax Ecclesiae tunc vacantis turbatur et processus electionum debitus impeditur. Statuitur ut quicumque de Ordine nostro ad electiones convocationes huiusmodi personarum duxerint faciendas quod ipsi priventur et ad aliam Ecclesiam mittantur ibidem perpetuo moraturi ».

e. *Contra eos qui Visitatores recipere noluerint.*

« Illi vero qui Visitatores Ordinis ad se missos recipere noluerint nec permiserint eosdem officium visitationis exercere, atque maxime illi qui convocationes in visitationibus fecerint, vel eisdem Visitatoribus damna suarum rerum intulerint, seu iisdem rebus procuraverint spoliari, et qui eosdem Visitatores seu Capellanos aut familias eorum verberari fecerint, illi [f. 10 r°] specialiter contra quos super praemissis vehemens praesumptio habebitur, a Visitatoribus supradictis poena simili puniantur, hoc addito quod si in primis Praelati fuerint culpabiles vel si Conventus ipsorum ab ipsis

Visitatoribus vehemens praesumptio habeatur, ipso facto sine remissione qualibet deponantur ».

f. *Moderata sint Visitatorum stipendia.*

« Item quod et si Visitatores non teneantur propriis stipendiis laborare, moderatas expensas expectent et requirant ab illis Ecclesiis quas ipsis contigerit visitare ».

g. *De illegitimis in Canonicos non recipiendis.*

« Cum tales personae recipi debeant in Ordine quae ad Praelaturam si opus fuerit debeant promoveri, statuimus ut nullus de caetero recipiatur in Canonicum de quo per testes idoneos vel litteras authenticas non constiterit evidenter quod sit de legitimo thoro procreatus nisi de speciali licentia Domini Praemonstratensis ».

« Statuitur ob reverentiam Sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi ut in Ecclesiis nostri Ordinis ad Missam ad minus unus tertitius cereus accendatur ».

h. *De sigillandis litteris super immobilibus.*

« Cum in Capitulo de custodia sigilli Conventus sit expressum quod litterae de immobilibus sigillandis de consilio et assensu Prioris, Supprioris, Provisoris et aliorum Seniorum Conventus debeant sigillari, aliqui autem de Conventibus sensum huiusmodi Statuti pervertentes interpretentur praesentationem Parochialium Ecclesiarum rem esse immobilem et ob id inter Caput et membra dissensiones et scandalum in populo aliquoties sit obortum, declarando statuimus ad Abbates huiusmodi praesentationes de consuetudine Ordinis pertinere. Quibus iniungitur firmiter quod eas conferant personis idoneis et honestis, et si sint in Ecclesia, vocatis Priore et aliquibus de senioribus domus eis fideliter offerant ut dictum est.

In illis autem locis in quibus consuetudo habetur quod praesentationes huiusmodi fiant per litteras Abbatis et Conventus ; ne retardando Ecclesia dono suo privetur per pericula quae frequenter emergunt, Canonici qui claves sigilli Conventus custodiunt, praesentationem ab Abbate faciendam ne differant sigillare. Quod si ipsi vel aliqui de conventu contradicere praesumpserint, ad remotas Ecclesias Ordinis in poena quadraginta dierum mittantur, ad Ecclesiam infra quinquennium minime reversuri.

Item statuitur ne aliqui Ordinis Canonici in parochialibus Eccle-

siis ad deserviendum ponantur, nisi fuerint de licentia Domini Praemonstratensis ».

[f. 10 v°] « Statuitur ut ob honorem Beatae Mariae Virginis in omnibus Ecclesiis nostri Ordinis, qualibet die post Completorium beatae Mariae cantetur Antiphona *Ave Regina* alta voce, qua cantata, subiungatur Collecta *Protege*, praemisso versu *Ave Maria*, praeterquam in Assumptione et Nativitate Beatae Mariae et per octavam et in Annuntiatione Dominica in quibus cantatur *Alma Redemptoris* ».

« Statutum est ut audito nomine Iesu Christi in choro unusquisque humiliet se et inclinet versus maius Altare de capite tantum propter multitudinem aliarum inclinationum in Ordine statutarum ».

i. *Poena eorum qui violentiam aliquam propriis Abbatibus fecerint.*

« Ad reprimendam quorumdam malignorum praesumptuosam audaciam, statutum est ut quicumque nostri Ordinis portas Abbatiarum seu curtium Abbatibus suis clauserint aut aliquam violentiam eidem intra monasteria vel extra de caetero fecerint, priventur perpetuo domo sua et mittantur ad Ecclesias remotas, facturi in eisdem obedientiam manualem. Abbates qui tales ad obedientiam admittere recusaverint, ipso facto a sacerdotali officio sint suspensi ».

2. *Ms. Nancy 994*, f. 13 v°.

a. *De electione Abbatis.*

« Item statuit quod quicumque Ordinis nostri Praelatus, seu subditus, per se vel alium scienter a quocumque litteris deprecatorias impetraverit, ut in quacumque Ecclesia nostri Ordinis eligatur in Praelatum, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat, a qua non possit absolvi nisi per Dominum Praemonstratensem vel per Capitulum Generale, et factus sit ineligibilis hac vice ».

b. *Non licet admittere alterius religionis religiosos.*

« Item statuit sub poena suspensionis, quam contrarium facientes incurrent ipso facto, ne aliqui Praelati nostri Ordinis, canonicos vel conversos alterius Ecclesiae quam suae, seu alterius Ordinis quam nostri, professos quoscumque in suos Canonicos vel Conversos recipiant quoquo modo sine licentia Domini Praemonstratensis, vel Capituli Generalis ».

c. *Emissus non exeat portas monasterii.*

« Item praecipit ne canonici nostri Ordinis, exigentibus culpis suis emissi, portam monasterii exeant aliquatenus, nisi forte cum conventu ».

d. *Abbas veniens ad Cap. Gen. ducat suum notarium.*

« Item praecipitur quod omnis Abbas ducat suum notarium, veniens ad Capitulum Generale » (Quod solis Patribus-Abbatibus concessum est ex statutis nostris).

3. Fr. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia*, Londini, 1906, t. III, p. 121 s., hunc actum Capituli Generalis anni 1290 refert :

« Guillelmus [1]), Dei patientia, Premonstratensis abbas, et abbatum eiusdem Ordinis Capitulum generale, venerabili et dilecto in Christo fratri, abbati de Welbek [2]), salutem in Domino et sinceram caritatem. Vobis per praesentes intimavimus quod, cum anno preterito paternitas ecclesiae de Taslesken vobis fuisset, pro tempore, assignata, nos, considerantes dicte ecclesie perpetuam utilitatem, et pacem amplectentes, nichilominus illustrissimi regis Anglorum proficuum et voluntatem, paternitatem dicte ecclesie et translationem ipsius, successoribus vestris et ecclesie de Welbek. assignavimus. Datum Premonstrati, in Capitulo generali, anno Domini M CC XCII ».

35

1293. Litterae praeposito Magdeburgensi [1])

Fr. WINTER, *Die Prämonstratenser im zwölften Jahrhundert,*

[1]) Abbas iste est Guillelmus de Louvignies, abbas Praemonstrati aa. 1288-1304. Cfr. Ch. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, pp. 100-102.

[2]) Welbeck, abbatia sita in dioecesi Eboracensi (York). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 82-84.

[1]) Magdeburg erat praepositura, fundata a S. Norberto, qui ultimis annis suae vitae erat archiepiscopus Magdeburgensis. Magdeburgum satis cito in Ordine libertatem relativam obtinuit. Praepositus Magdeburgensis erat praeses Circariae Saxoniae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 232-235. Monasteria in hac epistola indicata tractantur a N. BACKMUND, l. c., pp. 207-251, ubi de Circaria Saxoniae tractat.

Berolini, 1865, p. 373 s., hanc epistolam abbatis Praemonstratensis et Capituli Generalis citat :

« Guillelmus [2]) dei patientia premonstratensis abbas, et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale venerabili et dilecto in Christo fratri preposito Magdeburgensi salutem et sinceram in Christo charitatem. Vobis presentibus intimamus, quod prout in registris et cartis ordinis antiquis reperimus, istae sunt ecclesiae vobis subiectae, quarum praelati tenentur vestrae citationi personaliter comparere et vestris praeceptis obedire in omnibus, prout vobis in isto anno gratiose concessum est a nostro capitulo generali, quorum ista sunt nomina : Magdeburch, Gratia Dei, Letzeka, Brandenborch, Havelberch, Racebergh, Jerichow, Colbeke, Roda, Quedlinborch, Mildevorde, Polde, Gramzowe, Temenitz, Stadew et Brode. Quas quidem ecclesias secundum concessionem supradictam ecclesiae Magdeburgensi private subiectas reputamus praesentium testimonio litterarum. Datum Praemonstratum (!) anno domini MCCXCIII. in capitulo generali ».

36

1294

1. *Ms. Nancy 994*, fol. 13 v°-14 r°.

Conquerentes de correctione sibi inflicta, puniendi (In Dist. 4, c 4, n. 9).

[f. 13 v°] « Statutum, ut quicumque nostri Ordinis, cuiuscumque status vel dignitatis existens, qui personis aliis, etiam qui de Ordine nostro existunt, querimoniam tulerint super eo quod in suis Ecclesiis vel aliis, per Dominum Praemonstratensem, Patres Abbates, annuos Visitatores, seu per proprios Abbates, si Praelati fuerint, in sequenti Capituli ad arbitrium Definitorum graviter [f. 14 r°] puniantur. Si vero subditi fuerint, poena gravioris culpae quadraginta diebus in propriis Ecclesiis puniantur ; et nihilominus voce et omni honore careant, et obedientia nominata toto tempore vitae suae. Constabit autem de praemissis, si tam Praelati quam subditi

[2]) Guillelmus iste est abbas Praemonstrati, Guillielmus de Louvignies, abbas aa. 1288-1304.

de praemissis convicti fuerint vel confessi vel contra eos vehemens praesumptio habeatur ».

2. C. SAULNIER, *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis renovata 1630*. 3a ed., Luxemburgi, 1776, de praesenti Capitulo Generali a. 1294 hoc refert statutum, p. 156 s. :

« Cum dudum statutum sit in Ordine ex iustis et honestis causis cedentes, pensionem annuam habeant illam, quam tempore regiminis, suis Ecclesiis conquisierunt, prout in Statuto super hoc edito (Antiq. Statuta, Dist. 2. Cap. 1) plenius continetur : Et cum plures Praelati, vel Subditi, dictas pensiones solvere contradicant, vel impediant, qui Domino Praemonstratensi et Diffinitoribus saepius referuntur. Nos igitur praedictis querelis remedium apponere cupientes, iterum statuimus, quod Praelati ex iustis, et honestis causis, de licentia D. Praemonstratensis vel Capituli Generalis cedentes, quibus per Conventum dictae Ecclesiae in qua praefuerunt, pensio fuit assignata, et per Praemonstratensem confirmata, si Abbas ibidem constitutus consenserit, de caetero illa pensio irrefragabiliter solvatur eidem ; si vero subsequentias, utrum dicta pensio solvi debeat, vel non solvi, auditis causis et rationibus hinc et inde, qua ordinatione sit assignata pensio : Si de caetero subditi se opposuerint et impedierint, per emissionem puniantur. Praelati vero in hoc rebelles si fuerint, poenam sustineant, quam Capitulum Generale eis duxerit infligendam ».

3. Quod in C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, Nanceii, 1734-1736, variis locis dicitur de paternitate Abbatum in abbatias Hungariae, ita exprimitur a S. DE LAIRUELZ, *Optica Regularium*, Mussiponti, 1603, p. 417 : « Hic notandum, quod anno Domini 1294. in Capitulo Generali mutati fuere plerique Patres Abbates huius Circariae (Hungariae), et assignata fuit paternitas Ecclesiarum Circariae praedictae quinque Abbatibus, videlicet Montis Syon, Lucensis, Zabardovicensis, Luchoniensis et Gradicensis, propter defectum Patrum Abbatum, qui eas minime visitabant » [1]).

[1]) Quinque abbatiae de quibus hic sermo fit, sunt: Mons Sion, seu Strahovia, in urbe Pragensi: cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, *Straubing*, 1949, pp. 310-313; Lucensis seu Louka, seu Klosterbruck (dioec. Brunensis): cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 297-299; Zabardovice (dioec. Brunensis): cfr. *ib.*, pp. 318-320; Lounovice (dioec. Pragensis): cfr. *ib.*, p. 299 s.; Gradicium seu Hradisch (dioec. Olomucensis); cfr. *ib.*, pp. 291-294.

37

1297

1. In C. SAULNIER, l. c., p. 305 haec notantur, relate ad hoc Capitulum Generale : « Ad petitionem nostri Ordinis de Frisia [1]), statuitur, ut quicumque Conversus nostri Ordinis, de caetero aliquem de nostro Ordine mutilaverit, carceri firmissimo per quinquennium mancipetur ».

2. In collectario decretorum Capitularium ab abbate Van den Achter, abbate Tongerloensi († 1745) composito, haec legimus de hoc Capitulo :

« Statutum est, ut fratres parochiales ita se habeant de nocte, ut unus possit alterum audire et videre, alioquin revocari debent, illuc minime reversuri » (l. c., ms. arch. abbatiae Tongerloensis, p. 28).

38

1298

Capitulum hoc Lauduni fuit celebratum.

Ms. Nancy 994, f. 14 v°.

Esus carnis permissus Praelatorum arbitrio.

« Praecipit Capitulum ut non tam indifferenter et communiter fratres vescantur carnibus, sed vivant secundum primam Ordinis consuetudinem, si fieri potest. Illud tamen arbitrio Praelatorum pro temporum et locorum opportunitate et necessitate relinquatur. Et quia Rex Galliae voluit omnia alia instituta per abbates et religiosos observari inviolabiliter, aliter per alios alterius vocationis provisurum esse asseruit, illa deinceps ordinavit observari ».

[1]) Frisia est regio sita in partibus septentrionalibus Neerlandiae. Diu Circariam specialem constituebat haec regio. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 153-234.

39

Saeculo XIV

« Item statuimus ut quilibet prelatus nostri Ordinis, quam cito a Capitulo generali ad ecclesiam reversus fuerit, infra triduum, in capitulo suo, omnia statuta, in ultimo Capitulo generali edita, coram fratribus suis publicet vel publicari faciat ; alioquin a divinis sit suspensus, donec domino Praemonstratensi se presentet. Eadem pena ligentur priores, nisi infra triduum scribi fecerint supradicta ».

Probabilissime, textus iste saeculo decimo quarto statutus est a Capitulo ; ita Pl. LEFÈVRE, *Etudes sur la Liturgie de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, III, 1927, pag. spec., p. 5 (Textus iste transcriptus legitur in codice Diligemensi ; cod. 3956-60, Bibl. regalis Bruxellensis).

40

1302

1. *Ms. Arch. Averbod.*, IV, 206, fol. 53 v°.

« Cum facilitas venie incentivum prebeat delinquentibus, plures ordinis nostri canonici, cum sibi minus quam vellent in victualibus providetur vel aliquod molestum sibi a prelatis vel provisoribus suis erogatur, proprio iudicio suis sensibus totaliter innitentes, proprio motu seipsos interdicunt et organa divini officii in seipsos suspendere non verentur, tales de cetero statuimus et discernimus sententiam excommunicationis incurrisse ipso facto, inhibentes ne organa divini officii resumant, nisi de proprii licentia abbatis speciali, quod si animo indurato in dicta sententia per triduum remanserint tamquam inobedientes et rebelles per emissionem puniantur. — Anno domini m°ccc°ii statuta sunt hec in capitulo generali ».

2. C. SAULNIER, o. c., p. 331: « Statuitur ut quilibet Praelatus nostri Ordinis, postquam a Capitulo Generali ad Ecclesiam suam reversus fuerit, infra triduum, in Capitulo edita, coram Fratribus suis publicet ; et Priores faciant scribi, alioquin poenae subiaceant ».

41

1305

1. C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 230, scribit : « Henricus II (abbas S. Mariani Altissiodorensis [1]) Capitulo generali interfuit, et certam fixamque sibi ac suis successoribus cameram, centum pensatis libris Turonensibus, acquisivit in Praemonstrato, ad quam sedente Capitulo generali se reciperent ».

2. *Ib.*, col. 465 : « Anno 1305. Adamus Abbas Praemonstrati [2]), totumque Capitulum Generale ad supplicationem Episcopi Ratisbonensis [3]) concesserunt Ulrico [4]) abbati Osterhoviensi, celebrare festum Conceptionis beatae Mariae in Ecclesia sua sub ritu duplici et propria Historia ».

42

1306

a. C. SAULNIER, l. c., haec refert :

1. « Cum ad aures nostras pervenit, et a multis fide dignis audierimus, quod propter indiscretionem habitus candidi, et rasuram, seu tonsuram Conversorum nostri Ordinis, multa scandala iam dudum per nostrum Ordinem provenerint, et de die in diem possint imposterum provenire, in scandalum non modicum nostri Ordinis ; hinc est, quod nos, super his habito consilio ab omnibus totius

[1]) Abbatia S. Mariani Altissiodorensis (Auxerre) (nunc: dioec. Senonensis, in Gallia), anno 1305 uti abbatem habebat Henricum, qui erat abbas inde ab a. 1305. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 475-477.

[2]) Adamus de Crécy abbas fuit Praemonstrati aa. 1304-1327. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, pp. 102-108.

[3]) Iuxta *Monumenta germaniae Historica, Scriptores*, XIII, p. 361, episcopus Ratisbonensis tunc erat Heinricus secundus dictus de Rotenekk.

[4]) Abbas Osterhofiensis (nunc: in dioec. Passaviensi) erat tunc Ulricus v. Holzheim (abbas aa. 1288-1324). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 45.

nostri Capituli generalis ; vel saltem a maiori vel saniori parte, deliberavimus et ordinavimus, ac etiam statuimus, quatenus de caetero sub poena carceris, monitione prius habita, prout decet, deferant scapularia angulariter, ad modum scuti decisa, ante et retro, usque ad cingulum, et etiam barbas suas deferant, sine tonsura et rasura, prout in antiquis Statutis nostri Ordinis plenius continetur, quatenus appareat distinctio inter Canonicos et Conversos » (p. 244). Idem refertur a J. LEPAIGE, l. c., p. 23.

2. « Quoniam in electionibus celebrandis pax et concordia summopere sunt quaerendae, idcirco a retroactis temporibus in nostro Ordine cautum fuit, ut per viam inspirationis divinae, vel per viam compromissi, quae magis pacificae inter alias dignoscuntur, eae electiones in Ordine nostro celebrarentur, et quod quidam in odium, discordiam, dissensionem, et damna Ecclesiarum suarum minus iuste procurantes, viam scrutinii in electionibus novis et nocivis introductionibus obviare volentes, statuimus ut de caetero in electionibus in Ordine nostro celebrandis, per vias praedictas, aut aliam ipsarum procedatur. Ita quod si aliqui aliter electi fuerint, electio eorum irrita sit et inanis. Electores nihilominus et electi qui in his consenserint, voce careant, et ineligibiles sint toto tempore vitae suae » (p. 356 s.). — Idem in Arch. abbatiae Parceneis, VII, 40, fol. 66 v°.

b. *Arch. Parc.*, VII, 40, fol. 66 r° :

« Statuitur, ut quicumque fratres nostri Ordinis officium sibi a prelato iniunctum ordinario recipere recusaverint aut susceptum pro libito suo voluntatis resignaverint aut susceptum pro libito suae voluntatis resignaverint canonice moniti, nisi infra triduum receperint, careant toto tempore vite sue voce et stallo et similiter obedientia nominata ».

c. *Arch. Abbatiae Tongerloensis, Collectarium abbatis Van den Achter* :

« Praelatis Ordinis nostri universis conceditur, quod si fratres sui secundo vel amplius apostataverint, incarceratio eorum discretioni reliquantur, per emissionem vel alias, prout melius viderint puniendos ».

43

1307

Ex. C. SAULNIER, l. c.

1. « Cum propter temporis angustias, guerras, et exactiones imminentes, non possit Conventibus nostri Ordinis, ita laute in victu et vestitu, ut consuetum est hactenus, provideri, inhibetur omnibus Praelatis nostri Ordinis, et Conventibus eorumdem, ne aliquem Canonicum vel Conversum recipiant isto anno. Praecipientes Conventibus universis, sub poena in Statutis murmuratorum contenta, quatenus isto anno, in victu et vestitu sint contenti, his quae sibi a Praelatis suis, cum consilio duorum, vel trium, quos secum duxerint advocandos, fuerint ministrata, pitanciis Conventibus assignatis isto anno, communi provisioni per Abbates et per pitantiarios convertendis. Firmiter iniungentes Praelatis universis, quatenus transgressores ,si qui fuerint, puniant, sine remissione qualibet, prout in dicto Statuto continetur, vel arctius, per emissionem, vel alias, prout eius discretioni videbitur expedire » (l. c., p. 69).

2. « Cum liceat nobis per privilegia nostra et consuetudines, in Ordine nostro observatas antiquitus, in qualibet Ecclesiarum Parochialium, quarum Ius Patronatus habemus, unum de Canonicis nostris per Praelatum suum Dioecesano praesentare, a quo Curam animarum Parochialium, ad quam praesentatur, recipiat ; et aliqui nostri Ordinis Canonici a suis Praelatis electi, ut Curam huiusmodi recipiant, si sibi non placuerint, dictas Curas recipere contumaciter recusant, in damnum, et praeiudicium Ecclesiarum praedictarum ; statuitur ut quicumque Canonici nostri Ordinis, a suis Praelatis vocati, Curas Parochiarum ad suam Ecclesiam spectantium, de caetero recipere recusaverint ; illi etiam qui in curtis, vel in grangiis Ecclesiarum suarum, ad mandatum Praelatorum suorum accedere, et ibi morari, contenti pensione consueta, recusaverint, ex tunc voce et obedientia nominatis careant toto tempore vitae suae, et quamdiu in ista rebellione perstiterint, ultimi sint in suo ordine, occasione aliqua non obstante » (l. c., p. 221). — Idem in arch. abbatiae Parcensis, VII, 40, fol. 66 v°-67 r°).

3. « Scribitur universis, et significatur eisdem, quod cum propter

sequentes et continuos accessus ad Claustrum Monialium nostri Ordinis, et earum latibula, diversoria seu cameras, locis, horis suspectis, et temporibus, quibus non decet, pensata Ordinis honestate, et exinde scandala exorta fuerint, et quod peius est, de die in diem graviora oriantur : Ad obviandum talibus scandalis et periculis, inhibemus universis Monialibus nostri Ordinis ne aliqua earum post solis occasum viros saeculares, vel Religiosos alterius Ordinis, in suis locis, diversoriis, aut cameris intromittant, vel recipiant, aut cum eis comedant seu bibant. Quod si aliquae in contrarium fecerint, easdem velo omnino carere volumus, donec per nos aliter fuerit ordinatum. Et hoc idem intelligimus et observari volumus, de illis quae ante horam Primae, apud se aliquos duxerint intromittendos, seu convictae fuerint recepisse » (l. c., p. 252. — Idem in Brit. Mus. London, Add. 22.605, fol. 105 v° - 106 r°).

4. « Cum multi Praelati nostri Ordinis negligentes visitare personaliter Capitulum Generale, poenas in Privilegiis, et Statutis contentas contra non venientes vilipendant, praecipitur universis Praelatis tam praesentibus, quam absentibus, quatenus de caetero Generale Capitulum visitent diligentius ; alioquin contra non venientes, aut minus legitime excusantes, prout rationis fuerit, procedatur » (l. c., p. 313).

44

1308

a. *Arch. abb. Averbodiensis*, IV, 206, fol. 54 r°.

« Cum multi fratres ordinis nostri contra statuta nostri ordinis de esu carnium largius quam deceret utantur, ad dicta statuta duximus annectendum, statuentes ut quicumque de cetero fratres nostri ordinis in Adventu Domini et per duos dies continuos post « Esto michi » [1]) vesci carnibus convicti vel confessi fuerint, nisi pro egritudine manifesta, et hoc de licentia suorum prelatorum, pena gravioris culpe viginti dierum sine remedio puniantur, aliis statutis de esu carnium in suo robore duraturis ». Idem in arch. abb. Parcensis,

[1]) « Esto michi » indicat Introitum ad Missam Dominicae in Sexagesima. Haec Dominica proinde in hoc textu designatur.

VII, 40, fol. 67 r°, ubi additur : « Anno domini m°ccc°viii° domino A [2]) regente capitulum ».

b. *Ib.*, fol. 54 r°.

« Simili pena lusores deciorum puniantur vel contra quos vehemens presumpcio habita fuerit de promissis pena excommunicationis quam pro dicto facto incurrunt revocata ». Idem in arch. Parc.. VII, 40, fol. 54 r°.

45

1310

a. Fr. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia*, Londini, 1906, t. I. « Adam, Dei patientia Praemonstrati abbas [1]), venerabilibus et dilectis in Christo Fratribus de Langedona [2]) et de Sulleby [3]) abbatibus, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Cum, a temporibus retroactis, abbates Anglie tallias sibi et suis ecclesiis impositas solvere non curaverint et aliquem processum, pro eorum contumacia et inobedientia, in nostro Capitulo generali fecerimus per vos eis omnibus divulgandum, vobis firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus ad certos dies et locum (quos expediri videritis), abbates Anglie omnes et singulos citetis et convocetis, auctoritate nostra, ordinationem et processum nostri Capituli Generalis vobis directos eidem ostensuri, et ulterius in omnibus facturi, pro nostri Ordinis libertate, omnia que ipsum negotium predictum exigit et requirit : contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescentes. Datum Premonstrati, A. D. MCCCX, sedente nostro Capitulo generali » L. c., p. 5 s.

[2]) A. iste est abbas Praemonstrati, Adamus de Crécy. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 528; Ch. TAIÉE, *Prémontré*, Parisiis, 1872, pp. 102-108.

[1]) Adamus iste est Adamus de Crécy, qui fuit abbas Praemonstrati aa. 1304-1327. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 528; Ch. TAIÉE, *Prémontré*, Parisiis, 1872, pp. 102-108.

[2]) Langedona seu Langdon, in dioec. Cantuariensi, in Anglia australi. Abbas tunc erat Geoffrey. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 63 s.

[3]) Sulleby seu Sulby, in dioec. Lincolniensi, in Anglia meridiana. Abbas tunc erat Simon vel Iohannes de Welford. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 73 s.

b. « Adam [4]), Dei patientia, etc. » (ut supra, sub a).

Vobis firmiter mandamus, quatenus, assumpto vobiscum venerabili fratre de Welbek [5]), quam citius commode poteritis, ad ecclesiam de Hales [6]) personaliter accedentes, visitetis eandem sollicite et attente cum nostre plenitudinis potestate, tam in capite quam in membris, corrigentes in eadem que secundum Deum et Ordinem corrigenda ; fideliter referentes que ad nostrum generale Capitulum fuerint referenda cessiones abbatis dicti loci (si petierit) recipientes, seu ipsum ad cedendum (si opus fuerit et videritis expediri) compellentes ; facientesque post modum dicte ecclesie de pastore ydoneo canonice provideri, contradicentes et rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo invocato ad hoc (si necesse fuerit) auxilio brachii secularis. Datum Premonstrati, anno Domini MCCCX. sedente nostro Capitulo Generali ». L. c., p. 181 s.

46

1311

A. GASQUET, l. c., t. I, pp. 36-38.

« Cum nos abbates diffinitores Capituli Premonstratensis, auctoritate dicti Capituli, alios monuerimus abbates nostri Ordinis regni Anglie, ut contributiones et collectas eis competenter impositas ex antiqua consuetudine, et approbata, ipsis et singulis abbatibus dicti Ordinis imponi consuetas, sub penis in statutis dicti Ordinis contentis, apportarent seu apportari facerent apud monasterium Premonstratense infra quindenam post sanctum Pascha ultimo preteritum, et tunc venturis priori vel suppriori dicti monasterii quo ad hoc, et quemlibet eorum deputatos, solverent seu assignarent ; necnon, sub pena excommunicationis quam in eos proferebamus auctoritate dicti Capituli generalis supra predictis ; cumque predicti Abbates [1]), ut ipsi comparerent ad Capitulum Generale quod celebratum erat anno

[4]) Vide n. 1.

[5]) Welbek, in dioec. Eboraceni (York), in Anglia mediana. Abbas tunc erat Iohannes Chesterfield. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 82 s.

[6]) Hales, seu Halesowen, in dioecesi Wigorniensi (Worchester), in Anglia mediana. Abbas tunc erat: Thomas a Lech. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 58 s.

[1]) Abbates de quibus hic agitur, indicantur paulo post in praesenti documento.

Domini MCCCXI, in festo B. Dionisii [2]) cum diebus sequentibus, responsuri super tanta inobedientia et super premissis (prout iustum esset) processuri, et ordinationem audituri Capituli generalis super predictis ; cumque predicti Abbates, quos, exigente iustitia, in hiis scriptis contumaces reputavimus, cum ad dictum Capitulum generale non comparuerint per se vel per alium seu alios, nec causa subsistit quare predicta facere teneantur dicteque contributiones seu impositiones fiant, et hactenus fieri consueverunt, ad tuitionem, defensionem, et conservationem statutorum, libertatum, et privilegiorum dicti Ordinis ; sintque abbates perseverantes animo indurato in eorum contumacia contra consuetudines, privilegia, statuta et statutum nostri Ordinis :

hinc est, quod eorum crescente contumacia crescere debent et pene, vobis S. Radegunde [3]) et de Langedona [4]) abbatibus, sub pena excommunicationis sententie late auctoritate dicti Capituli generalis, precipiendo mandamus firmiter et districte, quatenus dictos Abbates sic excommunicatos a nobis ut premissum est (quos iterum in hiis scriptis, auctoritate dicti Capituli excommunicamus et aggravatos nuncietis ; inhibentes omnibus prioribus vel supprioribus, canonicis nostri Ordinis (necnon aliis prout vobis possibile erit) auctoritate Capituli generalis, sub penis in statutis dicti Ordinis contentis ne ipsi cum predictis abbatibus, durante dicta excommunicationis sententia, in aliquo participare presumant.

Citantes nihilominus predictos Abbates, uno edicto peremptorio pro omnibus, sub pena depositionis et ex causa, ut ipsi apud Premonstratense monasterium, in proximo Capitulo Generali, personaliter compareant, nobis et dicto Capitulo super tantis inobedientia et contemptu responsuri, prout iustum fuerit, super premissis processuri, ac super hiis ordinationem dicti Capituli generalis audituri, et hoc cum intimatione debita et consueta, quod (sive ad dictum Capitulum generale compareant, sive non) nos, contra ipsos et quamlibet ipsorum, ad depositionem ipsorum procedemus, prout de iure fuerit procedendum.

Istud autem mandatum, vobis et omnibus vestrum, per vos vel

[2]) In festo S. Dionisii (9 Octobris) tunc incipiebat singulis annis Capitulum Generale.

[3]) St. Radegundis abbatia sita erat in dioecesi Cantuariensi, in Anglia australi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 69 s.

[4]) Langdon, in dioecesi Cantuariensi, in Anglia australi. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 61 s.

per alios fide dignos, mandamus et committimus exequendum ; ita quod in exequendo alter vestrum alium seu alios non exspectet. Et quod inde feceritis, nobis et Capitulo generali predicto, sub sigillis vestris fideliter rescribatis.

Datum anno Domini MDCCCCXI, sedente Capitulo generali ».

47

1312

C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 465 refert : « Anno 1312, ad requisitionem Comitum de Halts, nobiliumque Militum Hartlibi et Sifridi de Peuchberg, Villelmi de Winzer, et Friderici Saxonis de Hausen, Adam [1]) Abbas Praemonstrati totumque Capitulum Generale fraternitatis litteras eis concedunt et notificandas submittunt Ulrico (abbati Osterhoviensi) » [2]).

48

1315

1. In *Collectatio abbatis Vander Achter* asservato in archivo Abbatiae Tongerloensis, plurima de hoc Capitulo referuntur.

a. « Statuitur ad honorem Dei, et reverentiam solemnitatis festi Sacramenti Corporis et Sanguinis eiusdem, necnon ad animarum utilitatem, et ad populi devotionem, ut annis singulis in Vigiliis dicti festi ab universis nostri Ordinis professis, tam viris quam sororibus, in perpetuum ieiunetur ». L. c., p. 203.

Idem refert C. SAULNIER, l. c., p. 57, qui in fine addit : « et quod in die dicti Festi ab omnibus nostri Ordinis Professoribus antedictis, Communio recipiatur ».

Magis complete, idem statutum legitur in ms. Monacensi, Bayr. Staatsbibliothek, lat. ms. 22.286, fol. 51 r° : « Ad honorem Dei et

[1]) Adamus de Crécy, abbas Praemonstrati aa. 1304-1327. Cfr. supra, p. 62.

[2]) Osterhofen, seu Osterhovium in dioecesi Passaviensi, in Bavaria Inferiori. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 43-45. Ulricus, de quo hic sermo fit, abbas erat aa. 1288-1324.

ob reverentiam sollempnitatis festi sacramenti corporis et sanguinis eiusdem necnon ad animarum utilitatem ad devocionem populi excitandam statuitur ut annis singulis in vigilia dicti festi ab universis professoribus nostri ordinis quatenus solempnitatem de sacramento altaris feria quinta post festum Trinitatis annuatim futuris temporibus in universis ordinis ecclesiis more festi duplicis cum processione in albis et octavis sollempnibus celebrent solempniter et faciant secundum ad huius deputatum officium celebrari ».

b. « Ad honorem gloriossimae et intemeratae Virginis Mariae et ob ipsius reverentiam statuitur, ut annis singulis in vigiliis Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Assumptionis, et Annuntiationis eiusdem ab Ordinis nostri tam viris quam sororibus in perpetuum ieiunetur », p. 203. Idem apud C. SAULNIER, l. c., p. 57. Idem in ms. Paris, Bibl. Nat., n.a., 644, fol. 111 r° - 111 v°, ubi, in fine hoc additur: « Et quod in die beate Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis eiusdem communicetur in perpetuum ab universis nostri ordinis tam monialibus quam conversis ».

2. C. SAULNIER, l. c., alia decreta eiusdem Capituli refert huius tenoris :

a. « Cum propter insolentiam Canonicorum nostri Ordinis Parochiales Ecclesias regentium, qui ad mandatum suorum Praelatorum nolunt resignare, damnum et gravamen multis ecclesiis proveniant ; Volentes damnis, et gravaminibus huiusmodi obviare, statuimus, omnes et singulos Canonicos, qui parochiales Ecclesias, quas detinent, aut in futurum tenebunt, resignare noluerint ad mandatum suorum Praelatorum, primo et secundo requisiti, competenter decernimus in carcere recludendos, ibidem secundum quantitatem suorum excessuum puniendos. Quod si reperti fuerint de bonis Ecclesiarum suarum, quae non sit de Ecclesia, unde sunt Canonici, ad valorem 20 solidorum Sterlingorum asportasse, poena furti puniantur ». L. c., p. 233 s.

b. « Cum secundum diversitatem excessuum poenae variae infligi debeant delinquentibus, ut pro modo culpae quilibet recipiat quod iustum est, hinc est quod ad discernendum et puniendum prout excessuum requirit immanitas, statuimus ut quicumque de nostro Ordine deinceps tales excessus perpetraverint, propter quos,

si essent seculares, et in seculo commorantes, poenam mortis incurrerent, vel si Clerici, aut constituti in Ordinibus, per Dioecesanos Episcopos ad panem et aquam iudicarentur perpetuo, tales in quibuscumque Ecclesiis eos in carcere detineri contigerit, reficiantur solum pane et aqua, toto tempore vitae suae, nec eis amplius ministrentur aliud, omnibus super hoc obloquentibus, silentium perpetuum imponentes. De aliis autem ordinent Praelati, in quorum Ecclesiis sunt detenti, secundum quantitatem excessuum, secundum quod deliquerunt plus vel minus ». L. c., p. 309.

3. Arch. Abb. Averbodiensis, IV, 206, fol. 56 r°.

« Cum eciam propter temporis caristiam ac oppressiones varias et diversas quasi omnes ecclesie nostri ordinis ad tantam inopiam devenerunt quod vix habeant unde vivant, omnibus ordinis nostri prelatis districtius inhibemus ne isto anno recipiant canonicos aliquos seu conversos aut moniales de novo in suis ecclesiis absque nostra licentia speciali ».

49

1316

1. A. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia*, Londini, 1906, t. I.

a. « Universis presentes literas inspecturis Adam [1]), Dei patientia, Praemonstrati abbas et abbatum eiusdem Ordinis Capitulum generale, salutem et notitiam veritatis.

Altercationem antiquam, inter nos ex parte una et quosdam abbates de Anglia ex altera, diutius in Romana Curia agitatam, sopire volentes, ac finem litibus imponere, et animarum saluti providere cupientes, ad pacem et concordiam cum dictis abbatibus devenimus et composuimus, in modum subsequentem.

Licet abbates Anglie non multum distent a Premonstrato, ubi tenetur annuatim Capitulum generale ; propter tamen sumptuosum et periculosum maris transitum, concedimus eis, ex gratia speciali, quod annis singulis annui Visitatores cuiuslibet circarie dicti regni generale Capitulum visitare personaliter tenebuntur, exceptis impedimentis in privilegiis et statutis Ordinis expressis, in quo abbates

[1]) Adamus de Crécy. Cfr. supra, p. 62.

taliter impediti priorem aut alium canonicum suum, cum mandato expresso de potestate iurandi in animam mittentis, de dictis impedimentis, loco sui tenebuntur destinare.

Et si domino Premonstratensi aut generali Capitulo, necessitate aut utilitate Ordinis seu causa rationabili pensatis expediens videretur, quod plures abbates, quam annui Visitatores et abbates de novo creati, in generali Capitulo personaliter interessent, tunc, per dominum Premonstrati aut per generale Capitulum, alii abbates circariis possent (et citationis causa in citatorio poneretur) et citati comparere personaliter tenentur ; alioqui puniantur secundum privilegia Ordinis et statuta. Nec alias quam ex causis hac compositione contentis dicti regni personaliter minime tenebuntur.

Item dominus Premonstratensis, qui pro tempore fuerit, poterit omnes ecclesias regni Anglie, Scotie et Wallie, prout sua interest, omni anno personaliter visitare. Qui, si per se visitare noluerit, poterit et alios Visitatores, de quinque annis in quinque annos, quos de dicto regno a latere suo mittere voluerit, Abbates dicti regni de expensis transitus seu passagii maris nihil solvent, sed tantum sibi et suis vite necessaria procurabunt, secundum privilegia Ordinis et statuta. Et taliter destinati evectionum numerum in statutis contentum servare tenebuntur. Nec ad depositionem abbatum poterunt extendere manus suas, sed hunc articulum generali Capitulo aut domino Premonstratensi reservabunt, nisi aliqua ecclesia dicti regni in spiritualibus seu temporalibus ita vacillaverit, quod de eadem prius domino Premonstratensi, per patrem abbatem vel annuos Visitatores, querimonia deferatur.

Item in generali Capitulo duo Visitatores annui, ad quamlibet circariam dicti regni visitandam, alternis annis, secundum formam Ordinis deputabuntur. Qui Visitatores status ecclesiarum et que referenda fuerint, ut est in Ordine consuetum, omni excusatione cessante ,exceptis tantum impedimentis et privilegiis et statutis Ordinis expressis, referre generali Capitulo personaliter tenebuntur. Et si quemlibet Visitatorum tunc contigerit, ut premittitur, impediri, priorem aut alium canonicum suum (ut in precedenti articulo premittitur) loco sui tenebitur destinare.

Item collecte non fient, nisi causis in privilegiis et statutis Ordinis contentis. Et tunc, si faciende fuerint, causa contributionis et summa totalis levanda in Capitulo generali (si commode exspectare poterit) approbabitur ; et, per Visitatores annuos, cuilibet circarie dicti regni intimabitur. Summa seu quota sua (de qua summa, cui-

libet ecclesie circarie per Visitatores taxabitur summa sua, secundum quod habundant in temporalibus, plus vel minus) levanda et a collectoribus generalis Capituli per dictos Visitatores referenda ; ita tamen quod ecclesia solvens portionem sibi assignatam, pro ecclesia non solvente minime solvere tenebitur. Sed non solventes per generale Capitulum, aut per dominum Premonstratensem, vel locum eius tenentem, compellentur. Et dicti Visitatores, seu alii abbates dicti regni in Capitulo existentes, compotui (si voluerint) intererunt, ut sciant quid fiet in posterum de collectis, et imponetur portio moderata ecclesiis dicti regni.

Item procuratores, qui pro negotiis Ordinis communibus procurandis constituentur, in Capitulo (si fieri possit) de fidelitate et diligentia prestabunt iuramentum ; et, si urgente necessitate, Capitulum generale commode nequeunt exspectare huius iuramentum domino Premonstratensi (in presentia plurium abbatum de quorum consilio mittendi fuerint ad Curiam) prestabitur et in sequenti Capitulo reddere tenebuntur.

Item abbates de novo creati, primo anno creationis sue, domino Premonstratensi et Capitulo generali, obedientiam manualem personaliter facere tenebuntur... Et si, impediente infirmitate, primo anno fieri nequeat, dicta obedientia fiat in sequenti. Ita tamen quod per priorem vel alium canonicum suum, cum mandato expresso iurandi in animam mittentis (ut superius premittitur) excusare se tenebuntur abbates taliter impediti.

Item apostate Ordinis et alii criminosi ac notorie irregulares, si ad dominum Premonstratensem venerint, seu ad eius locum tenentem, absolvendi aut pro gratia impetranda, dominus Premonstratensis seu locum eius tenens, in casibus sibi concessis, ipsos absolvent, et super irregularitate (si voluerint) dispensabunt ; vel (si sibi expediens videatur) ad abbates proprios remittent disponendos, vel tantum a sententiis Ordinis absolvendos ; specificatis omnibus criminibus notoriis seu manifestis, cum hac additione, si sit ita. Ad stallum autem et obedientiam nominatam non restituentur, nisi ad intercessionem propriorum prelatorum aut Visitatorum annuorum, si prelati eorum se, quantum ad hoc, redderent nimis graves.

Item sorores Ordinis in regno Anglie consistentes, que, ante tempus nostrum, exire consueverunt, de cetero non exibunt ; sed gratiam sibi factam exeundo a nobis et Capitulo generali (cum propter hoc grave scandalum Ordini sit exortum) penitus revocamus.

Item omnia illicita attemptata, si que fuerint (quod absit) post

et contra appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam ex parte abbatum Anglie, ex certa scientia revocamus ; reverentia ecclesie Premonstratensis et generalis Capituli in omnibus semper salva.

Et hec omnia (si voluerint) abbates predicti per Curiam Romanam poterunt facere confirmari. Istam enim compositionem laudantes et approbantes, promittimus temporibus futuris et tenere et observare velle cum effectu.

Acta fuerunt hec anno Domini MCCCXVI, sedente nostro Capitulo Generali. In cuius rei testimonium sigillum dicti nostri Capituli presentibus duximus apponendum ». L. c., pp. 49-53.

2. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, p. 20, refert :

« Anno 1316 Capitulum Generale statuit sequentia : Soli Visitatores annui Circariarum in posterum tenentur Capitula Generalia adire ; item abbates neoelecti. Abbas generalis potest visitare Circarias Angliae personaliter omni tempore, sed per deputatos omni quinquennio tantum. In neutro casu abbates Angliae aliud quid contribuere debent quam sustentationem illorum durante itinere in Anglia. Visitatores deputati nequeunt deponere abbates ».

50

1317

Iuxta ms. Bibl. Reg. Bruxellensis 3956-60, fol. 68 v°, Capitulum Generale anni 1317 evulgavit statutum sequens :

« Ad augmentum cultus divini et ad honorem gloriossime Virginis Marie, genitricis Dei, statuitur quatenus in omnibus nostri ordinis ecclesiis festum de Conceptione eiusdem sicut in eiusdem Nativitate, mutatis nominibus, ab omnibus, perpetuis temporibus, more festi duplicis sollempniter celebretur ».

Cfr. Pl. LEFÈVRE, *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres généraux de Prémontré aux XII^e et XIII^e siècles*, in *An. Praem.*, IV, 1928, p. 143.

51

1319

C. SAULNIER, l. c., p. 57 refert (idem habet abbas VANDER ACHTER, in suo collectario in arch. abb. Tongerloensis) :

« Per universum Ordinem festum de Sacramento Altaris more duplicis festi cum solemni Octava celebretur ».

52

1320

1. M. DEGROULT, *Mondaye en Normandie*, 1959, p. 8 scribit :

« Une requête dont l'effet doit tourner au service de Dieu et à l'accroissement du culte divin, doit toujours être exaucée. D'un autre côté, les choses matérielles doivent avoir pour but de favoriser et de servir à la vie spirituelle. C'est pour cela que faisant droit aux légitimes demandes de nos vénérables frères en Jésus-Christ, l'Abbé et le Couvent de Mondaye ... nous louons et nous approuvons mot pour mot, tout ce qui contenu dans leurs lettres, et même nous le confirmons à perpétuité de notre autorité et de celle du Chapitre général ». Le Chapitre général de 1320, et Adam de Crécy, abbé de Prémontré à cette époque, approuvent la requête faite par l'abbaye de Mondaye.

2. C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 107 :

« Adam [1]) sollicita et obtint du chapitre général de 1320 la création d'une contribution pécuniaire proportionelle à verser chaque année au trésor de Prémontré pour la gestion et le soutien des affaires de l'Ordre ». Idem apud J. JOHN, *The college of Prémontré in Mediaeval Prémontré* in *Anal. Praem.*, XXVIII, 1952, p. 157 : « 1320 : When the General Chapter decided that each monastery would henceforth have to make an annual contribution to defray the expenditures undertaken for the common good of the Order ».

3. Pl. LEFÈVRE, *La Messe quotidienne « De Beata » dans la Liturgie de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, XXVI, 1951, p. 55, n. 15 : « La fête de la Conception ... fut imposée vers 1320 et est recensée pour la première fois dans la *Quinta distinctio statutorum*, promulguée cette année par le chapitre général. Cfr. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 835 ».

[1]) Adamus de Crécy. Cfr. supra, p. 62.

4. Iussi Capituli Generalis a. 1320, novus quidam Index generalis domuum Ordinis confectus est. Cfr. de hoc Indice N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 374-378.

53

1321 (?)

In ms. lat. 22.286, Bibl. Status Monacensis, fol. 47 v° legitur :

« Cum propter indiscretas et inutiles canonicorum receptiones nostri ordinis facte sint hactenus inconsulte dampnaque et scandala proinde ecclesiis ordinis evenerint, volentes dampna huiusmodi obviare et sopire querimoniis nobis factis, statuimus quod in ecclesiis, ubi moniales extiterint, prepositi earumdem nullos imposterum in dictis praeposituris sub pena depositionis recipiant in canonicos, quod si secus attemptare presumpserint patribus abbatibus in virtute sancte obedientie precipimus, quod sic receptos omittant et recipientes deponant, omni excusatione et appellatione cessantibus indilate ».

54

1322

1. Refert de hoc Capitulo J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 283 :

« Qui officium administrationis, sive obedientiam sibi a Praelato iniunctam acceptare noluerint, seu invito eodem Praelato suo, proprio motu dimittere praesumpserint, voce careant et obedientia nominata ; et quamdiu in tali rebellione perstiterint, ubique in sedibus omnium ultimi habeantur.

Hoc edicto in perpetuum duraturo statuimus, ut omnes Canonici, vel Conversi ordinis nostri praesentes et futuri, officia vel administrationes tam in spiritualibus quam temporalibus habentes iam, vel de caetero habituri, iuramentum praestent, quod huiusmodi officia et administrationem fideliter tenebunt et exequentur, secundum Praelatorum suorum dispositiones et utilitatem Ecclesiarum.

Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus nostri Ordinis Praelatis, quatenus infra triduum postquam ad Ecclesias suas pervenerint, si commode poterunt, a dictis Officialibus suis recipiant huiusmodi Iuramenta, eaque praestare nolentes amoveant indilate ».

2. S. De Lairuelz, *Optica Regularium seu Commentarii in Regulam S. P. N. Augustini*, Mussiponti, 1603, p. 159 s., ait se invenisse in vetustissimo codice abbatiae Osterhoviensis :

« Illicitos atque temerarios ausus Canonicorum nostri Ordinis, qui per Praelatos suos ad Curas parochiales regendas, secundum formam privilegiorum Dioecesanis praesentantur, ipsas resignare nolunt ad suorum praeceptum Praelatorum, licet quandoque pro maiori utilitate Ecclesiae sint revocandi, sed Dioecesanis aut suis Officialibus de bonis suarum Parochiarum, de quibus Praelatis suis respondere teneantur, largiuntur, ut ipsis in sua rebellione foveant, et defendant in grave damnum et scandalum Ordinis et suarum periculum animarum, reprimere volentes, Statuimus omnes et singulos Canonicos nostri Ordinis, qui parochiales Ecclesias, quas tenent in praesenti, aut in futuro tenebunt, resignare noluerint, ad suorum mandatum seu praeceptum Praelatorum, primo, secundo, et tertio competenter requisiti, si per tres dies in rebellione persistant, Excommunicationis sententiam incurrisse, suam sententiam si per decem sustinuerint, aut si sic ligati immiscuerint se Divinis, per Secularem potestatem, si opus fuerit, decernimus capiendos, et in carcerem detrudendos, ibidem secundum quantitatem delicti, damni, et scandali, plus vel minus puniendos. Quod si reperti fuerint de bonis Parochiarum suarum quas tenent vel tenebunt, absque licentia Praelatorum suorum ad loca seu personas, quae non sint de Ecclesia, unde sint Canonici ad valorem viginti solidorum sterlingorum fraudulenter asportasse, poena furti puniantur. Illi vero Canonicorum qui ad Curas regendas a Praelatis suis electi fuerint Dioecesanis praesentandi, si eas contumaciter et proterve recipere recusaverint, voce careant et Obedientia nominata, et quamdiu in rebellione tali perstiterint, ubique ultimi in sedibus omnium habeantur. Qui autem officium sive Obedientiam sibi a Praelato suo iniunctam acceptare, vel acceptam invito Praelato suo, proprio motu dimittere praesumpserint, poena simili puniantur ».

3. Pl. Lefèvre, *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres*

généraux de Prémontré aux XIII^e^ et XIV^e^ siècles, in *Anal. Praem.*, IV, 1928, p. 145 s., hoc statutum anno 1322 codificatum edit :

« Ad reverentiam et honorem Corporis et Sanguinis Domini nostri Ihesu Christi, statuimus solempnitatem eiusdem, quae in feria quinta post octavam Penthecosten in concilio Viennensi precepta est, per omnes nostri ordinis ecclesias sollempniter, more praecipuarum sollempnitatum, cum omni devotione et diligentia celebrare, et ad maiorem devotionem excitandam in eiusdem festi vigilia ab omnibus nostri ordinis ieiunare et in die dicti festi missam a cunctis sacerdotibus celebrari ; ab aliis autem qui sacerdotes non fuerint et a sororibus et fratribus conversis recipi Eucharistie sacramentum ».

4. Pl. LEFÈVRE, *Les Statuts réformés*. Bibliothèque de la Revue d'histoire ecclésiastique. 23. Lovanii, 1946, notat :

« A la session plenière des abbés réunis en 1322, on convint de dresser un syllabus, sous le titre : « Quinta distinctio statutorum », de tous les décrets extravagants parus depuis 1290. La collection susdite comprend dix-sept paragraphes, dont deux se rapportant au cérémonial liturgique. Ordre fut donné aux chefs des monastères d'exponctuer les dispositions antérieures non contenues dans la « Quinta distinctio », d'inscrire celle-ci en appendice aux statuts de 1290, avec les canons capitulaires qui pourraient être promulgués encore. Quiconque négligerait l'accomplissement de ces formalités, encourait la suspense a divinis. « Cette « quinta distinctio » a été publiée par J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Paris, 1633, pp. 832-840, avec deux décrets promulgées postérieurement par le chapitre général ». L. c., p. XXII.

5. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, p. 155, scribit :

« Propter distantias, Capitulum Generale decrevit a. 1322, quod abbates huius circariae (Gasconiae) [1]), omni tantum triennio Praemonstratum deberent adire, et quidem alternatim quod primo anno

[1]) Circaria haec sita erat in partibus meridionalibus Galliae et partibus septentrionalibus hodiernae Hispaniae. Abbatiae in hoc decreto capitulari denominatae ad hanc Circariam pertinebant. Cfr. de illis N. BACKMUND, l. c., pp. 154-203, ubi ordine alphabetico abbatiae et domus ad dictam Circariam pertinentes tractantur.

contigit abbatibus Casaedei, Castellae, Bellipodii, et Urdacii ; secundo Deivillae, Arthous, et Lahonce ; tertio Combalungae, Capellae, Fontiscalidi et Planaesilvae ». N. Backmund addit se hanc ordinationem invenisse apud CARESMAR, *Anales* in Arch. départ. Gers, H, 5, 55.

55

1323

1. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, p. 237, refert de hoc Capitulo Generali :

« Decretum : Canonici nostri, qui ad Curas regendas a Praelatis suis selecti fuerint, si eas proterve et contumaciter, et absque legitima causa, acceptare recusaverint, voce careant et obedientia nominata et quamdiu in tali rebellione perstiterint, ubique in sedibus ultimi habeantur.

Quod Praemonstratenses canonici de caetero ad Ecclesias Parochiales non praesentabuntur, nisi prius praestiterint Iuramentum de reditu ad Claustrum, unde exierunt, ad mandatum suorum Praelatorum, disciplinam regularem, quoties deliquerint, recepturi ; Contradictores si qui fuerint, ad id per censuras Ecclesiasticas compellantur, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari ».

2. C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 697, scribit :

« Anno 1323, Capitulum generale, Praside Adamo Abbate Praemonstrati [1]), statuit ad sedandas omnes multiplices quaestionis materias, quae ex immediato regimine Abbatis Hambornensis [2]) exortae fuerant, ut deinceps Praepositus institueretur, qui Fussnichensem Ecclesiam [3]) regeret in spiritualibus et temporalibus, isque ex Ham-

[1]) Adam iste est Adamus de Crécy, abbas Praemonstrati aa. 1304-1327. Cfr. supra p. 62.

[2]) Hamborn, abbatia sita in Rhenania, nunc: dioec. Essendiensis (Essen); instaurata tamquam prioratus sui iuris, anno 1959. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, pp. 166-168. Anno 1323, Ioannes erat abbas.

[3]) Füssenich, in Rhenania, erat monasterium monialium. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 165 s.

bornae gremio eligeretur, si illic reperiretur idoneus. Ad cuius decreti executionem in primum Praepositum electus est Ioannes de Heronten, Prior in Werna [4]).

Ioannes (abbas Hambornae) anno 1321, consulens paupertati labentis Fussniaci, de consilio Comitis Iuliae, formam vivendi oeconomicam imposuit Sanctimonialibus anno 1323, de consensu Ioannis, et ex decreto Capituli generalis, in Praeposituram sublevatus est Prioratus Fussniacensis ».

56

1325 (?)

In cod. bibl. regalis Bruxellensis, 9654-63, fol. 176 v° legitur canon sequens :

« Item statuitur ut quilibet prelatus nostri ordinis, quam cito a Capitulo generali ab ultimo capitulo generali edita, coram fratribus suis publicet vel publicari faciat : alioquin a divinis sit suspensus donec domino Premonstratensi se praesentet. Eadem pena ligentur priores, nisi infra triduum scribi fecerint statuta supradicta ». Quod statutum, cui annus publicationis non invenitur inscriptum, publici iuris factum esse videtur, aa. 1325-1350. Ita Pl. LEFÈVRE, in *Anal. Praem.*, IV, 1928, p. 133.

57

1327

J. LEPAIGE, l. c., p. 225 :

« Item et dicentibus quinquies salutationem Angelicam, ad trinum sonitum campanae, qui dari solet immediate post Completorium, statuerunt et ordinaverunt in Capitulo Generali anni Domini 1327, quod in omnibus Ecclesiis et locis eiusdem Ordinis, praedicta omnia serio et ad amussim servarentur ».

[4]) Werna seu Wenau, in dioecesi Coloniensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I. p. 199 s.

58

1328-1334

Annis indicatis (1328-1334), a Pl. LEFÈVRE sequens decretum capitulare adscribtur :

« Quia uniformitas tam in officiis divinis quam in habitu per privilegia Sedis Apostolice nobis precipitur observari, quam plerique prelati et subditi suis voluntatibus nimium inherentes servare vilipendunt, sed officium sancti Sacramenti quivis abbas et conventus, tam in cantu et lectionibus quam eciam in Ordinario seu modo celebrandi, pro libito assumit vel facit sibi cantum ordinarium atque modum legendi ac celebrandi ; quinymo nonnulli prelati et subditi in Ordinis scandalum uti collobiis, gallice cloches, loco capparum et parvis capuciis cum quoquillis ad modum secularium factis, loco almuciarum uti temerarie non formidant ; hinc est quod premissa de cetero fieri inhibemus, omnibus et singulis in virtute sancte obediencie precipientes, quatinus dictum officium sancti Sacramenti, tam in cantu vel nota quam in Ordinario, prout in libris ecclesie Premonstratensis habetur, et sic in eodem scribi vel notari faciant quantocius poterunt bono modo, et in suis libris inseri et in ecclesiis suis totaliter observari. Et eciam ut indulgencias quas Sanctissimus pater noster Iohannes papa XXIIus concessit omnibus dicentibus psalmum : « Letatus » [1]), cum versiculis et collectis per ipsum ordinatis, in maiori missa, statim post Pater noster ; et omnibus dicentibus quinquies salutationem angelicam scilicet : « Ave Maria » ad trinum sonitum campane post Completorium circa noctem assequi mereamur, precipimus omnibus prelatis nostri Ordinis ut ipsi in ecclesiis suis, die qualibet, in maiori missa, statim post Pater noster, dictum Psalmum « Letatus », cum prescriptis versiculis et collectis dicere faciant, et post Completorium per tria intervalla aliquam campanam pulsari, ut interim quinquies « Ave Maria » ab audientibus dici possint, ut per hec et alia penitencie opera possimus pervenire ad gaudia sempiterna. Illos autem qui de cetero collobiis seu capuciolis coquillatis, talibus, ut premittitur, uti presumpserint, per patres abbates seu visitatores annuos pena gravioris culpe precipimus puniendos ».

[1]) Agitur de psalmo, qui incipit hoc modo: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. Psalmus iste in Vulgata latina habet nr. 121; in textu hebraico nr. 122.

Pl. LEFÈVRE, *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres généraux de Prémontré aux XIII^e^ et XIV^e^ siècles*, in *Anal. Praem.*, IV, 1928, p. 147 s. — De datatione huius statuti capitularis, *ibidem*, p. 148. — Statutum istud habetur in ms. 9654-63 bibl. regalis Bruxellensis. — Conferatur, eiusdem auctoris, in *Anal. Praem.*, XLI, 1965, pp. 311-314 : *De officio Corporis Christi in monasterio Sancti Foillani Hanoniensi ante annum 1328 servato.*

59

1331

In Capitulo Generali anni 1605 (ms. 538 Bibl. munic. Laudunensis), fol. 550, refertur hoc decretum Capituli generalis anni 1331 :

« Statuitur ut Praelati, qui ausu temerario contra inhibitionem Capituli Generalis, postquam sibi de ipsa constiterit, aliqua bona mobilia alienare perpetuo, seu praebendas, portiones, grangias, decimas vel alios redditus ad vitam vendere, seu ad multos annos in damnum suarum ecclesiarum obligare praesumpserint, praedicta licentia non petita nec obtenta, sint et remaneant ipso facto authoritate Capituli depositi et eorum subditi ab obedientia sibi facta penitus absoluti ».

Decretum istud, postquam in Capitulo generali anni 1605 in memoriam reductum fuit, iteratis vicibus deinde proclamatum fuit. Ita in Capitulo Provinciali Circariae Sueviae : cfr. ed. curata a E. VALVEKENS, in *Anal. Praem.*, I, 1925, pag. spec., p. 29 (in capitulo anni 1605). Item in visitatione facta ab abbate S. de Lairuelz, in abbatia Wiltinensi, anno 1606. Cfr. S. SZANTO, *Reformversuche im Stifte Wilten nach dem Konzil von Trient*, in *Anal. Praem.*, XXXV, 1959, p. 252.

60

1333

Anno 1333, inita est a Capitulo Generali confraternitas inter Ordinem Praemonstratensem et abbatiam O. S. Benedicti in Metten (charta originalis asservatur in archivo abbatiae Mettensis).

« Iohannes Dei gratia premonstratensis abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale, venerabilibus et dilectis filiis sibi in Christo Alberto abbati in Metten ordinis sancti Benedicti Ratisponensis diocesis et honorabili conventu dicti loci oraciones salutares cum sincera in Domino caritate. Ex piae devocionis affectu, quem vos ad ordinem nostrum et nostri ordinis ecclesiam Windebergensem [1]) concepisse ac habere didicimus, visissitudinem quam possumus respondere cupientes, plenam participationem oracionum et omnium bonorum spiritualium, quae fuerint et de cetero in universo ordine nostri fient, vobis ac vestris successoribus benigne concedimus in Domino, eterne addicientes quoque de gracia speciali, quod cum die obitus vestri nostro innotuerit capitulo generali, sub harum testimonio litterarum, tum fiet pro vobis in missis, vigiliis, psalmis et oracionibus quantum pro uno de nostris consuevit fieri, cum accedit.

Datum Premonstrati, anno MCCCXXXIII, sedente nostro capitulo generali » [2]).

61

1334

Ex Tr. GERITS, *Actes de confraternité de Prémontré et de l'abbaye de Winberg* [1]) *et des Bénédictins d'Oberaltaich* [2]) *au XIV^e siècle* in *Anal. Praem.*, XLI, 1965 (pp. 320-324), p. 321 :

« En 1334 Jean de Châtillon [3]), abbé de Prémontré, et le Chapitre Général de son Ordre accordaient la participation aux bénéfices spirituels de l'Ordre à Ulrich, abbé d'Oberaltaich et aux moines de son abbaye. La charte fait mention d'une « plene frater-

[1]) Windberg, in dioecesi Ratisbonensi, in Bavaria Inferiore. Suppressa anno 1803, iterum instaurata fuit a. 1923. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 55-57.

[2]) Editus fuit hic textus a N. BACKMUND in *Anal. Praem.*, XXVII, 1951, p. 118.

[1]) Windberg, in dioecesi Ratisbonensi, in Bavaria Inferiore. Suppressa anno 1803, iterum instaurata fuit a. 1923. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 55-57.

[2]) Oberaltaich, in Bavaria Inferiore, dioec. Ratisbonensis; abbatia Ord. S. Benedicti.

[3]) Iohannes de Châtillon, abbas Praemonstrati, aa. 1333-1339. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, Parisiis, 1872, p. 122 s.

nitas » qui donnait aux Bénédictins le droit aux mêmes suffrages que les Prémontrés ».

Editur, *ibidem*, p. 322, textus huius actus Confraternitatis, iuxta ms. asservatum in Archivo Status Monacenci, Oberaltaich, Kl. Urk. 66.

« Iohannes Dei paciencia Premonstratensis abbas et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, venerabili et dilecto sibi in Christo Ulrico abbati in Superiori Altaich, Ordinis sancti Benedicti, Ratisponensis dyocesis, et honorabili conventui, dicti loci oraciones salutares cum sincera in Domini karitate. Ex pie devocionis affectu, quem vos ad Ordinem nostrum et maxime nostri Ordinis ecclesiam Windebergensem concepisse ac habere didicimus, vicissitudinem quam possumus rependere cupientes, plenam participationem oracionum et omnium bonorum spiritualium, que fiunt et de cetero in universo Ordine fient, vobis ac vestris successoribus benigna in Domino concedimus karitate, adicientes quoque de gratia speciali, quod cum dies obitus vestri nostro innotuerit capitulo generali, sub harum testimonio litterarum, tantum fiet pro vobis in missis, vigiliis, ieiuniis, psalmis et oracionibus, quantum pro uno ex nostris consuescit fieri, cum decedit.

Datum anno Domini m°ccc°xxx°iiii°, sedente nostro capitulo generali ».

62

1336

1. *Ms Nancy 994*, fol. 24 r° haec refert de praesenti Capitulo anni 1334 :

« Praecipitur ut Abbates regressi ad abbatias suas (ex Capitulo), faciant omnes officiales administrationem habentes tam in spiritualibus quam temporalibus iurare quod bene fideliter exequantur officia sibi concessa et administrationes.

Item quod quoties oportebit mittere Curatos ad curas regendas, iurabunt quod toties requisiti fuerint resignare, resignabunt et de bonis sibi superfluis oportune in manus proprii Abbatis tradant, et bonorum computum de illis reddant et fideliter de anno in annum,

alioquin sciant se sententiam excommunicationis incurrere ipso facto.

Item si qui voluerint exire extra monasterium vel de villa in villam, secationibus vindemiarum exceptis, in scapulari incedere non praesumant, et socii et curati eorumdem, infra curam manentes, nisi in propria parochia sua.

Item ne quis abbas possit recipere apostatas etsi prima vice apostataverint, nisi per Dominum Praemonstratensem vel Generale Capitulum fuerit dispensatum.

Item ne quis Curatus audeat communicare quemdam absque cappa et stola, superpelliceo et scapulari, et haec omnia tam ad praesentes quam ad futuros se extendant ».

(Statuta ista capitularia, testa eodem manuscripto, loco citato, in abbatia Blanchalande [1]) collegit Servatius de Lairuelz [2]) et in ms. Mussipont [3]) leguntur).

2. A. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia*, Londini, 1906, vol. I, pp. 58-60, documentum sequens Capituli gen. anni 1336 refert :

« Litterae excusationis ex parte abbatis de Dale » [4]).

« In Dei nomine. Amen. Cum, iuxta sanctiones canonicas, quis non audeat, nec aliqua ratione audere debeat, per loca seu mare admodum populosa multum potenter, ac in eum qualitercumque odio provocata, ..., se consistorii huius loci subire iudicium, in hostium sinu se recipere, sed ad mortem vel periculum mortis ultroneum se offerre ; quinimo hec de iure timeantur, de bono mortis vitentur :

[1]) Blanchelande erat abbatia sita in dioecesi Constantiensi (Coutances), in Normandia, provincia Galliae occidentalis. Suppressa fuit a. 1790. Pertinebat ad Communitatem strictioris observantiae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 18-20.

[2]) Servatius de Lairuelz († 18 Oct. 1631), fuit inter màgnos fautores Communitatis antiqui Rigoris. Cfr. Et DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. (*Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*, fasc. 5). Averbodii, 1964.

[3]) Mussipontum, sive Pont-à-Mousson, fuit postquam in hanc civitatem translata fuit abbatia S. Mariae in Nemore, centrum reformationis Ordinis in Lotharingia saeculo decimo septimo. S. de Lairuelz in hac abbatia per plures annos abbas fuit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, pp. 93-96.

[4]) Dale, abbatia sita in Anglia Mediana. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, 1952, pp. 50-52.

hec refugit ratio, hec abhorreat natura ; ac beneficium protestationis in casibus huiusmodi, in forma iuris faciende ad cautelam, non immerito sit inventum.

Ego frater Willielmus [5]), permissione Divina, abbas monasterii de Dala, Ordinis Premonstratensis, Coventrie et Lichfeldie dioecesis, ac Visitator medie circarie ipsius Ordinis in Anglia, sub certa forma, per Capitulum Generale nostrum, pro anno Domini MCCCXXXVI (prout idem Ordo exigit) deputatus ; protestando assero, dico et constanter affirmo, ac cum effectu protestor, quod, post huius Visitationis officium michi licet indigno nuper commissum, et, sicut filio obedientia decuit, in omnibus (prout Deus dederit) congruis tempore et loco completum ; ut, in eodem Capitulo generali, Ordinis predicti, futurus et recepturus, quoad iure fuerit et Ordini convenerit supradicto, personaliter et sufficienter instructus, satis permature iter arripui, et continuando usque ad Doveriam [6]), non sine magno periculo et metu maris ac per loca minus tuta notorie accessi. Auditis tandem et verisimiliter intellectis, quod ulterius non esset michi nec alicui excusatori meo in ea parte in eundo et redeundo iter tutum, tum propter prohibitiones regis et regni, tum propter inimicorum et hostium regni Anglicani insidias manifestas, tam in terris quam in mari ad mala perpetranda plurimum vigilantium hiis diebus : protestor, quod ulterius tam periculoso itineri non audeo me supponere quovismodo. Et iuro ego, abbas predictus, ad hec sancta Dei evangelia per me corporaliter tacta, premissa omnia et singula, sicuti premittuntur, me credere certitudinaliter vera esse ».

63

1337. Monasterio Neocellae conceditur ut bona quamdam vendantur abbatiae Scheftlariensi

Al. WEISSTHANNER, *Die Urkunde und Urbare des Klosters Schaftlarn.* (Quellen und Erörterungen zur Bayerischen Geschichte.

[5]) Wilhelmus Dalley fuit abbas in Dale aa. 1332-1354. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 52.

[6]) Dover erat et est portus Angliae e quo naves versus continentem Europae proficiscebantur.

Band X. 2 Teil). Monachii, 1957, pp. 144-146, refert decretum sequens Capituli Generali anni 1337. Prémontré (Oct. 9-11).

« In nomine sancte et individue trinitatis. Amen. Dignum est et racioni consentaneum, ut que per contractum bone fidei ac relevacione ecclesiarum statuuntur, voluntario parcium consensu literatorie commendentur memorie et auttentico roborentur instrumento, ne semini longevi temporis res gestas in oblivionem plerumque precipitans posteros de facto dubitare faciat, et que consonantibus votis a praedecessoribus sunt et sanccita, compellet eos penitus ignorare. Ea propter nos Ludwicus divina permissione prepositus totusque conventus ecclesie de Nouo Loco sive Nouacella [1]) iuxta Frisingam, ordinis Premonstratensis, prenotate civitatis dyocesis, notum facimus universis tam presentis quam successure posteritatis, quod cum nos ac nostra ecclesia gravibus premeretur sarcinis debitorum oneribus aliqualiter relevari nisi per vendiciones et perpetuas alienaciones quorumdam prediorum ac possessionum predicte nostre ecclesie proprietatis tytulo attinentes. Nos vero solempnitate debita, que in alienacione rei ecclesiastice requiritur, adhibita, omnibus confratribus nostri conventus convocatis, qui debebant vel poterant interesse, credentes et presumentes per huiusmodi contractum, ut infra scribitur, prospicere meliora omnes possessiones ac redditus ad nostram ecclesiam pertinentes iuxta Bozanum in plebe sive parrochia de Cheller cum omnibus suis pertinenciis, quesitis et inquirendis, cultis et incultis, vineis, agris, domibus, pratis, nemoribus, pascuis, paludibus, rivis, aquis, aquarum decursibus, cum introitibus et exitibus, superioribus et inferioribus, ad easdem possessiones pertinentibus in integrum, venerabili in Christo patri ac domino domno Chunrado preposito et conventui sancti Dyonisii in Scheftlarn [2]) Premonstratensis ordinis, Frisingensis dyocesis, de communi omnium nostrum consensu, nullo penitus discrepante, auctoritate nichilominus et assensu reverendi in Christo patris et domini domni Johannis dei paciencia Premonstratensis abbatis [3]) necnon abbatum

[1]) Neocella seu Neustift, iuxta civitatem Frisinganam. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. I, p. 42 s. — Praepositus Ludovicus, de quo hic sermo fit, a Backmund, in serie Praepositorum non annumeratur.

[2]) Scheftlarn, non longe a civitate Monacensi situm, suppressum fuit anno 1803. Cfr. N. Backmund, l. c., pp. 47-49.

[3]) Agitur de abbate Premonstrati, Iohanne de Châtillon, abbas aa. 1333-1339. Cfr. C. Taiée, *Prémontré*, Parisiis, 1872, p. 122 s.

eiusdem ordinis, capituli generalis et de consilio et consensu domini Alberti venerabilis prepositi in Ursperch [4]), tam nostre quam Scheftlarensis ecclesie patris abbatis, pro quadringentis libris denariorum Monacensium vendidimus, dedimus et tradidimus tenendas, utendas et proprietatis tytulo perpetuo possidendas et omne ius, usum et usumfructus, que in predictis possessionibus habuimus vel habere dinoscebamur, in prepositum et conventum prelibati monasterii in Scheftlarn et omnes eorum successorum eo iure, racione et accione, sicut eas hactenus habuisse dinoscimur, cum directo dominio et proprietate vel quocumque nomine nominari iure vel consuetudine poterunt libere transferentes. Et presentibus confitemur nos et nostrum monasterium predictam summam pecunie recepisse et in usus nostros convertisse, videlicet cum eadem pecunia omnes nostras possessiones, quas habemus vel habere dinoscimur in iudiciis Chransperch, Dachaw et Aerdingen a creditoribus et usurariis ac Iudeis, quibus eadem erant omnes perpetualiter in simul obligate, eximendo exemimus penitus et ex toto. Uti autem ipsi prepositus videlicet et conventus seu monasterium memoratum in Scheftlarn de evictione qualibet per omnia sint securi, omnes res ecclesie nostre, mobiles et immobiles, presentes et futuras, ad recompensandum eviccionis periculum preposito et conventui presentibus affectualiter obligamus renunciantes nichilominus excepcioni doli, mali, que posset fieri metus causa, et omni excepcioni, per quam clauditur et claudi posset de eviccione regressus, et omni auxilio iuris civilis vel canonici et omnibus instrumentis ; graciis impetratis seu impetrandis sive a sede apostolica vel quocumque principe seu iudice ecclesiastico vel civili, quod in hoc casu competere posset et quod presentem contractum infringere posset vel aliqualiter impedire. In cuius contractus evidens et eternam memoriam presentes dedimus siggillorum dicti patris et domini nostri Johannis Premonstratensis abbatis necnon abbatum eiusdem ordinis capituli generalis ac eciam prefati patris abbatis utriusque ecclesie de Ursperch, quorum auctoritate ac consensu talis contractus debuit et potuit confirmari, necnon nostri nostrique conventus munimine roboratas. Et nos Johannes dei paciencia Premonstratensis abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale et Albertus divina miseracione prepo-

[4]) Ursberg, in Bavaria, dioec. Augustana (Augsburg); suppressa a. 1803. Praepositus Albertus, de quo hic sermo fit, praepositura functus est aa. 1333-1340. Cfr. N. Backmund, l. c., pp. 86-88.

situs Urspergensis, utrique periculo cupientes studiosius precavere, ordo in aliqua parte sui corporis minueretur, videlicet ecclesiam de Nouo Loco prelibatam, ne tam importunis et intollerabilibus debitorum oneribus ordine valeat aliqualiter deperire, et prescripte possessiones ad dominium aliorum ordinum seu qualicumque condicionum hominum manus debeant transvolare, consilio maturo ac deliberacione provida super hiis habita votis utriusque monasterii paterno affectu annuentes prescripto contractui auctoritatem et assensum studuimus adhibere et presentes sigillis nostris et sigilis prelibati prepositi ac monasterii de Nouo Loco in testimonium perpetuum omnium prescriptorum complacuit roborare. Actum et datum Premonstrati sub anno domini millesimo trecentesimo septimo, sedente nostro capitulo generali.

Et iuro specialiter, quod in hac parte nullum impedimenti affectatum apposui, nec procuravi, seu feci apponi, sed absque omni fictione, machinatione et dolo per me factis, impedimenta huiusmodi contigerunt.

Et quod de meo ex habundanti conferrem, si valere poterit ad hoc, quoad mihi pateret in casibus iter totum.

Premissa protestor et iuro coniunctim et divisim, iure, beneficio corrigendi et addendi in omnibus semper salvo ».

64

1338

H. LENTZE, *Stadt und Kirche im mittelalterlichen Innsbruck*, in *Oesterreichisches für Kirchenrecht*, IV, 1953, pp. 212-268; iterum in *Studia Wiltinensia* (Forschungen zur Rechts- und Kulturgeschichte, Band I), Oeniponte, 1964, pp. 95-148, refert l. c., p. 131 s. :

« Wilten [1]) erhielt in Abt Conrad IV. Spieser von Friedberg (1338 bis 1368 oder 1369) wieder einen Abt, der mit fester Hand die Gerechtsame seines Stiftes zu wahren wusste. Sein unwürdiger Vor-

[1]) Wilten seu Wiltina, in dioecesi olim Brixinensi, nunc Oenipontina (Innsbruck). Sita est haec abbatia prope moenia civitatis Oenipontinae, in Austria, (Tirol). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, pp. 53-55.

gänger Johann I. (1337 bis 1338) hatte gegen die Statuten des Ordens wichtige Veräusserungen unbeweglicher Güter vorgenommen, weswegen er vom Generalabt und Generalkapitel abgesetzt wurde ».

65

1342

J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 215, refert : « Licet Dominus noster Iesus, cuius oculis omnia nuda sunt et aperta, et nihil ignorat, sed omnia cognovit antequam fiant, habeatque perfectissimam cognitionem non solum praesentium, sed et futurorum ; tamen in novo Testamento certis rationibus salubriter immutavit ; per haec nobis ostendens, quod omnis Christi actio nostra instructio esse dignoscatur, et sic non debeat reprehensibile iudicari si secundum varietatem tempora humana Statuta contingat certis causis et rationibus variari. Maxime quia ea, quae de novo emergunt, novo indigere auxilio dignoscantur. Et licet Patres nostri antiquitus statuerint Fratres universos nostri Ordinis, à Festo S. Crucis usque ad Pascha, debere omni die refectione unica sustentari. Nos autem attendentes, quod Statutum huiusmodi liceat tempore suo bonum, tamen per experientiam certam, moderno tempore didicimus praedictam Ordinationem, seu Statutum, in detrimentum vergere animarum, cum modernum tempus districtiorem, seu rigorem praecedentis temporis, ratione debilioris naturae, pati non valeat, secundum Canonicas Sanctiones. Et ideo periculum huiusmodi attendentes, cum sive plectendo, sive ignoscendo, hoc solum bene agatur, ut vita hominum corrigatur, districtiorem, seu rigorem dicti Statuti aliqualiter temperando, ordinavimus et statuimus, de caetero, omni tempore, refici bis in die, cum illa restrictione, quod in sexta feria, tam in aestate, quam in hieme, ab omnibus, quacumque excusatione illegitima cessante, ieiunetur. Per hoc tamen non est intentionis nostrae ieiuniis Adventus, et aliis per Ecclesiam ordinatis, necnon de duobus diebus immediate post Dominicam Quinquagesimae quae dicitur : *Esto mihi* [1]) sequentibus, in aliquo

[1]) *Esto mihi* sunt verba, quibus incipit Introitus Missae dominicae quae Quinquaseima dici solet.

derogare. Et quia tempora sunt dura, et rarae sunt in aliquibus Ecclesiis facultates, volumus et ordinamus, quod in illis Ecclesiis, in quibus consueverunt duo fercula ministrari, in qualibet comestione, unum solum ferculum ministretur. In aliis vero Ecclesiis, ubi plus habere consueverunt, ministrandi plus vel minus in Abbatis proprii remanere volumus potestate. Verumtamen quia non ita vacandum est epulis, ut divinum officium remissius impleatur, volumus et praecipimus quod vesperae ita cito cantentur, quod Conventus de die in diem in Coena comedere valeat, ita quod Completorium post coenam solemniter et devote cantetur ».

Statutum centrale huius decisionis capitularis etiam refertur a C. SAULNIER, *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis renovata 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776, p. 56.

Capitulum hoc Generale Strahovii (Pragae) celebratum dicitur.

66

1343

Teste J. LEPAIGE, l. c., p. 700, sequens privilegium a S. P. Clemente VI. ad petitionem Abbatis Praemonstratensis collatum fuit anno Domini 1343.

« Praemonstratensium Praelati omnes (exceptis canonice impeditis et excusatis) ad Capitulum Generale, quod Praemonstrati singulis annis in festo sancti Dionisii [1]). Gallorum Apostolo habetur, personaliter convenire tenentur. Qui autem legitime impeditus ad illud venire nequiverit, loco sui, Priorem suum claustralem vel alium competentem nuncium cum speciali et sufficienti mandato mittat, per quem contributiones seu tallias Ordinis eidem Capitulo generali debitas, persolvat. Quod si quis Abbatum huic interesse, vel huiusmodi contributiones seu tallias Ordinis persolvere neglexerit, ad duplum mulctentur, et ad solutionem per censuras Ecclesiasticias scilicet excommunicationis, seu pensionis et interdicti sententias, sublato appellationis obstaculo, compellantur ».

[1]) Festum S. Dionisii celebrabatur die 9 Octobris. S. Dionisius habebatur uti apostolus primus fidei christianae in urbe Parisiensi, quae censebatur centrum Galliae praecipuum.

67

1350

1. C. L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Ordinis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 504, haec habet :

« Tillemanus (abbas Cellae Dei Superioris [1]), Tuckelhausanum [2]) monasterium cum omnibus suis iuribus transiit ad Carthusianos, etsi prius priori Cellensi annexum, regeretur a Canonicis Cellensibus, quos Abbas pro nutu amovebat, donec in Praeposituram evasisset haec Canonia, in cuius confinio cum Praepositus Sorores Ordinis collocasset ex Michelfedt [3]) prope Kitzingen, orientalis Franciae oppidum, parthenone eductas, illis Tuckelhausen monasterium cessit anno 1307. Sed quia eiusmodi mutationem magis obesse, quam prodesse compertum est, generalis Capituli decreto anni 1350 sancitum est, a Parthenone submotis Sanctimonialibus, locum tradendum esse Carthusianis, quam compensatione redituum facta, susceperunt, ipsam indemnitatem Cellensibus tribuente Eberhardo de Reiden, Cathedralis Herbipolensis Decano, et residuis Sororibus pensiones ad sustentationem persolvere ».

2. N. BACKMUND, *Die Originalurkunden des Prämonstratenserklosters Tückelhausen*, in *Würzburger Diözesan-Geschichtsblätter*, XXVIII, 1966, pp. 5-24, refert, l. c., p. 17 s. litteras abbatis generalis et capituli generalis anni 1350, vi quarum visitatores monasterii dicti hoc coenobium transferre possunt ordini Carthusianorum. (Originale in arch. Monacensi, Würzburg, Urk. 6985) :

« Iohannes permissione divina Praemonstratensis abbas [4]), et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, venerabilibus in Christo

[1]) Cella Dei superior = Oberzell, in dioecesi Wirceburgensi. Anno 1350, Tilmannus quidam abbas erat. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 129 s.

[2]) Tückelhausen erat monasterium Monialium. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, 137. Situm erat in dioecesi Wirceburgensi.

[3]) Michelfeldt erat domus dependens a monasterio Cellensi, seu Cellae Dei Superioris. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 130.

[4]) Abbas generalis, annis 1339-1352, erat Iohannes Le Petit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 528. Seu Iohannes de St-Quentin. C. TAIÉE, *Prémontré*, I, Parisiis, 1872, pp. 123-127.

fratribus... visitatoribus Wadegociensis et Yveldensis [5]) salutem et sinceram in Domino charitatem. Vobis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus ad requisitionem abbatis et conventus Cellensis [6]) supra contentis in supplicatione, cui haec nostrae litterae praesentes sunt annexae, inquiratis cum diligentia veritatem, et, si eadem vera esse inveneritis, translationem et permutationem faciendae de ecclesiae sororum de Tukelhausen [7]) et eius iuribus et pertinentiis in fratres ordinis Carthusiensis consensum impendatis viceque nostra, si necesse fuerit, confirmetis, provisuri quod ecclesiae Cellensi et Ordini in bonis mobilibus et redditibus perpetuis absque fraude et dolo aequivalens fiat recompensa, et maxime, si inveneritis praemissa non derogare honestati Ordinis et dictam ecclesiam sororum irrecuperabiliter esse desolatam. Quantum autem ad praemissa et eadem tangentia vobis committimus nostrae plenitudinem potestatis, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis. Datum Praemonstrati, anno Domini millesimo CCC° quinquagesimo, sedente nostro capitulo generali ».

68

1362

D. DENIFLE - Ae. CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. III, Parisiis, 1894, p. 95, ad diem 17 decembris 1362, haec refert :

« Universitas Parisiensis, Iohannes monasterii Praemonstratensis, totumque capitulum abbatum Praemonstratensis ordinis generale, supplicat pro fratre Everardo de Brugghenoye, canonico regulari monasterii Cappenbergensis [1]), dicti Ordinis, dioecesis Monasteriensis, baccalaureo in sacra theologia, qui dudum Parisiis studuit atque legit, ut beneficium in dioecesi Leodiensi ab Urbano V [2]) re-

[5]) Tum Wadgassen, tum Ilfeld monasteria Praemonstratensia erant in Germania. Nomina horum monasteriorum transierant insuper Circariis duabus Ordinis.

[6]) Cella = Oberzell. Cfr. n. 1.

[7]) Tukelhausen, seu Tückelhausen. Cfr. n. 2.

[1]) Cappenberg, monasterium a B. Godefrido anno 1122 fundatum, situm erat in dioecesi Monasteriensi (Münster), in Westphalia; suppressum fuit a. 1803. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, Straubing, 1949, pp. 158-160.

[2]) Urbanus V, beatus, Summus Pontifex fuit aa. 1362-1370.

cipiat. Datum Avenione XVJ kal. Ianuarii, anno primo ». (Ex Reg. Vat. Supplic. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 134).

69

1374

1. Ex : S. DE LAIRUELZ, *Optica Regularium seu Commentarii in Regulam S. D. N. Augustini.* Mussiponti, 1603, p. 162 :

« Statuimus quod Canonici nostri Ordinis, de caetero ad Ecclesias Parochiales minime praesententur, nisi prius praestituto solemni iuramento, quod ad mandatum Praelatorum suorum ab eisdem Ecclesiis ad Claustrum, unde exierint, revertentur, etiam disciplinam, si deliquerint, recepturi. Contradictores si qui fuerint, aut rebelles per Censuram Ecclesiasticam compescendo, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii saecularis ».

2. Ex : ms. VII, 37. 101b, archivi abbatiae Parcensis, novimus haec esse determinata in eodem Capitulo generali :

« Statuimus quod omnes Canonici et conversi Ordinis nostri praesentes et futuri officia et administrationes tam in spiritualibus quam temporalibus iam habentes vel de caetero habituri, iuramentum praestent quod huiusmodi officia vel administrationes sedulo tenebunt et exequantur secundum Praelatorum suorum dispotionem et utilitatem ecclesiae.

Cum de iure communi ecclesiarum parochialium curati seu rectores debeant et teneantur in dictis ecclesiis personaliter et continuo residere, statuimus et praecipimus omnibus et universis nostri Ordinis ecclesiarum parochialium curatis nunc in monasteriis morantibus seu versantibus pro certo officio faciendo vel alias morantibus, quod sub poena praelati sui infra mensem a notitia praesentis statuti ad ecclesias suas parochiales revertantur ad personalem et continuam commorationem ut tenentur, ibidem faciendam ».

70

1375

Ex : C. SAULNIER, *Statuta Candidi*, etc. 3a ed., Luxemburgi, 1776, p. 229 s. :

« Cum de iure communi, Ecclesiarum Parochialium Curati, seu Rectores, debeant, et teneantur in suis Ecclesiis Parochialibus personaliter, et continue residere ; statuimus, et praecipimus omnibus, et singulis nostri Ordinis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, nunc in nostris Monasteriis, pro certis officiis, vel alibi, commorantibus, quatenus sub poena excommunicationis latae sententiae, infra mensem a notitia praesentis Statuti, ad Ecclesias suas Prochiales revertantur, ad personalem, et continuam residentiam, ut tenentur, ibidem faciendam ».

Idem habetur apud J. LEPAIGE, l. c., p. 239, qui introductionem habet ad textum modo citatum, huius tenoris :

« Sequens pro actuali et perpetua Parochorum Praemonstratensium residentia decretum, editum fuit in Capitulo Generali Anno 1375. Et postea in plerisque Capitulis Generalibus renovatum ».

71

1385

Capitulum generale anni 1385 concedit praeposito asceterii Campi Regii, seu Koningsveld [1]), ut commutatio bonorum ad monasterium pertinentium fiat. Ita H. OBREEN, *Koningsveld bij Delft*, in *Anal. Praem.*, XII, 1936, p. 32 : « In 1385 veroorloofden Johannes, generaal-abt der Orde, en het Generaal-Kapittel, den proost van Koningsveld ver verwijderde kloostergoederen te ruilen tegen naderbij liggende, op voorwaarde dat deze gelijkwaardig zouden zijn, en het wijzere deel van het klooster zijn toestemming zou geven ».

[1]) Campus Regius, seu Koningsveld, monasterium situm iuxta civitatem Delft, in Hollandia (dioec. Ultraiectensis). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. II, Straubing, 1952, pp. 297-299.

72

1395

Hoc anno, abbas Trunchiniensis, ob difficultates exortas, bellorum causa, non tendit ad Capitulum generale ; sed delegat, ut ipsius vices ibidem agat, priorem abbatiae Praemonstratensis [1]).

73

1410

C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, coll. 755-758, agens de monasterio Sandeck [1]), decretum Capitulum Generalis a. 1410, refert :

« Universis praesentes litteras inspecturis, Petrus permissione divina Abbas Praemonstratensis [2]), et Abbates eiusdem Ordinis Capitulum generale, salutem in Domino sempiternam.

Universitati vestrae notum facimus, quod Illustrissimus et Serenissimus Dominus Vladislaus, Dei gratia Rex Poloniae, Lithuaniaeque Princeps supremus, et haeres Russiae : Cultum divinum cupiens augmentare, et in et de nostra Religione novellam fundavit Ecclesiam, scilicet Monasterium *S. Spiritus*, alias *Domus Pauperum*, in *Nova Sandeck*, in quam quidem Ecclesiam Venerabiles et Religiosi Viri Stanislaus Abbas, Dominicus Raviger, totusque Conventus Bresnensis [3]), a praefato Serenissimo Domino requisiti, ut aliquem bonum religiosum nostri Ordinis in Abbatem dictae novae Ecclesiae sive

[1]) Trunchinium, sive Drongen, iuxta civitatem Gandavensem (antea dioec. Tornacensis; nunc; dioecesis Gandavensis). Suppressa fuit haec abbatia a. 1797. Nunc pertinet ad Societatem Iesu. Abbas anno 1410 erat Ioannes Kimpe. Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. II, pp. 409-412. — J. B. GOETSTOUWERS, *De abdij van Drongen* in *Anal. Praem.*, XXXV, 1959, p. 307.

[1]) Sandeck, seu Nowy Sacz (dioec. olim Cracoviensis, nunc Tarnowiensis, seu Tarnow). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, pp. 342-344.

[2]) Abbas Praemonstrati tunc erat Petrus d'Hermi (abbas aa. 1392-1410). Cfr. C. TAÏÉE, *Prémontré*. Parisiis, 1872, pp. 129-132.

[3]) Bresnevense monasterium seu Hebdow (dioec. antea Cracoviensis; nunc Kielce, in Polonia). Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. I, p. 339 s. Abbas Stanislaus, de quo hic sermo fit, abbas fuit usque ad annum 1391.

novi Monasterii eligerent, et eidem Monasterio administrationem omnimodam imponerent, ac deinde ipsum addictum Monasterium, sicut oportebat et erat consuetum in nostra Religione in talibus fieri transmitterent Fratrem Ioannem, Alberti filium, Canonicum monasterii Montis-Sion Pragensis [4]), nostri Praemonstratensis Ordinis, in ordine Sacerdotii, et aetate legitima constitutum, Ordinem nostrum legitime professum, de legitimo matrimonio, et libero utero procreatum, in utroque regimine, scilicet tam spirituali, quam temporali, circumspectum virum, utique providum, et magnae scientiae, in dictae Ecclesiae, seu Monasterii Sancti Spiritus, alias Domus Pauperum in Nova-Sandeck, Abbatem et Pastorem canonice et concorditer, formaliter electum, et per ipsum Dominum Praemonstratensem confirmatum [5]), cum libris scilicet, Antiphonario, Graduali, Collectario, Ordinario, Statutis, Annulo, Baculo Pastorali, ac uno Religioso Montis-Sion, et octo Notabilibus Viris, per dictum Fratrem Ioannem electum ut praemittitur, et confirmatum in dicto Monasterio Sancti Spiritus receptis, ac Ordinem nostrum expresse professis transmiserunt, praefatique Serenissimus Dominus per litteras suas, et electus atque confirmatus vivae vocis oraculo Dominum Praemonstratensem rogaverunt, requisiverunt atque petiverunt, quatenus huiusmodi novellam plantationem, atque electionem, et electum ac confirmatum praefatos, praetactamque dicti electi atque confirmati ad dictum Monasterium, cum praefato in nostra Religione instructo transmissionem, atque ipsorum in dicto Monasterio receptionem, et professionem, ratos, gratos, atque firmos habere, atque Venerabili Fratri nostro Stanislao Abbati, et suis successoribus Abbatibus dicti Monasterii Bresnensis, cui, et quibus dictus Serenissimus Princeps dicti Monasterii Sancti Spiritus paternitatem, et ipsi Monasterio, maternitatem praefatam, cum omnibus earum honoribus, iuribus et oneribus conferre, seu confirmare dignaretur. Quapropter nos exultantes in Domino, qui in illius Serenissimi R. E. G. J. P. mansit secretis, tam devotum desiderium noscitur reconditum, ut cultus divinus de die in diem suscipiat incrementum, et Religio nostra floribus sit insignita, ac fructibus suarum spiritualium propaginum praefatorum Serenissimi Regis et novi Abbatis praedicti, novi Monasterii de-

[4]) Mons Sion erat abbatia praeclara in civitate Pragensi. Cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 310-313.

[5]) Ioannes iste, de Praga dictus, teste N. BACKMUND, l. c., p. 344, de facto primus abbas fuit in Sandeck, et abbas remansit usque ad a. 1410, in quo anno resignavit.

votionis precibus, rogationibus requisitis et petitionibus benignam impartientes assensum, preces, requestas, et petitionem praedictas, ut superius exprimitur, concedimus, et easdem libenter annuimus, omnia et singula circa dicti Monasterii novi aedificationem omnimodam edita et edenda ratificantes, ac etiam approbantes, in omnibus et singulis paternitate et authoritate Domini Abbatis Praemonstratensis, ac suorum Successorum, et Capituli generalis semper salvis, fidelissimum et devotissimum dicti Serenissimi Regis, circa divini cultus augmentationem propositum multipliciter in Domino Iesu Christo commendantes. Caeterum, quia Ecclesiae *Sancti Spiritus*, praefata professione et statu subiecta est Ordini nostro memorato, Religiosique dicti Monasterii, nostrum suscuperunt et professi fuerunt Ordinem, et hactenus in omnibus observaverint, quantum in nobis est ; Abbatem dicti Monasterii et suos successores, ac Religiosos eiusdem Monasterii praesentes et futuros, incorporamus ipsi nostro Ordini in visitationibus, reformationibus, correctionibus, et aliis quas dictus Ordo, tamquam caput membris suis impendere consuevit, atque saepe dictam Ecclesiam unitati praefati Ordinis adscribimus, eidem visitationis, reformationis et correctionis officium sicut caeteris Ecclesiis nostri praedicti Praemonstratensis Ordinis, secundum Deum et Ordinem nostrum diligenter impensuri, ut in omnibus et singulis quae ad Ordinem ipsum spectant de cetero sic connexa, una salva semper in omnibus S. Sedis Apostolicae authoritate. Datum Praemonstrati sub sigillo nostro Generalis Capituli, an. Dom. 1410, die mensis Octobris sedente nostro Capitulo generali ».

74

1413

Fr. Baix, *Un prélat norbertin : Christianus Cobant*, in *Anal. Praem.*, XXVI, 1950, pp. 170-175, plura exponit de vita Chr. Cobant. Inter illa, quae ibidem exponuntur, iuxta documenta asservata in Archivis Vaticanis, et edita a G. Tellenbach - U. Kuehne - K. Fink, in *Repertorium Germanicum*, voll. II-IV, habentur :

« 1413, 4 ian., (Chr. Cobant) presbyter ; Iohannes XXIII confirmat electionem de ipso factam tunc canonico ecclesiae Racebur-

gensis [1]), o. Prem., super monast. S. Vincentii extra muros Wratislaviensis [2]), per Petrum [3]), abbatem monasterii Premonstratensis, Laudunensis diocesis, et alios coabbates dicti ordinis in generali capitulo habitam, cum cassatione electionis Andree Rugeleri [4]),

[1]) Raceburgium sive Ratzeburg, prope civitatem Lübeck, in Germania septentrionali, olim habebat ecclesiam cathedralem et sedem episcopalem. Primus Episcopus erat S. Evermodus. Praepositus monasterii Praemonstratensium erat Episcopus. Anno 1566, ad Reformationem transiit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, Straubing, 1949, pp. 241-243.

[2]) S. Vincentius Wratislaviensis (Breslau-Wroclav), erat abbatia Praemonstratensis. Anno 1810 fuit suppressa. Cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 334-337.

[3]) Petrus d'Hermi fuit abbas Praemonstrati aa. 1392-1423. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, I. Parisiis, 1872, pp. 129-132.

[4]) Iohannes Rugelerus seu Rugeler electus fuit abbas Wratislaviensis, a. 1409, et resignavit a. 1417. Electio ista vero confirmata non fuit. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental uns seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzenzstiftes*, in *Anal. Praem.*, XXVIII, 1951, pag. spec., p. 115. Hoc loco legimus, fol. 145 r°, quidnam Chronicon N. Liebental († 1516) dicat: « Anno domini M°CCCC° nono die 24 Aprilis electus est venerabilis pater et dominus ANDREAS RUGELER de Austria in abbatem et pastorem monasterii sancti Vincencii (Wratislaviensis) et per dominum Wenceslaum episcopum Wratislauiensem (Wenceslaus de Liegnitz episcopus fuit Wratislaviensis aa. 1382-1417) confirmatus, et a sede apostolica non potuit confirmari propter quemdam Christianum Kobant, et sic fuit litigatum ultra XIII annos in curia Romana cum maximo detrimento et dampno monasterii. Et fuit in regimine tantum VIII annos et anno domini M°CCCC°XVII° resignavit abbatiam propter defectus sui corporis notabiles, XXVII iunii ». Ex quo patet abbatem Rugeler in abbatia Wratislaviensi a canonicis habitum fuisse ut abbatem regularem.

Contra ipsum abbatem Rugeler sese opposuit Chr. Cobant. Qui a Petro abbate Praemonstrati et Capitulo generali anni 1413 qua abbas Wratislaviensis confirmatus fuit. Iuxta A. ZAK, *Episcopatus Ordinis Praemonstratensis*, in *Anal. Praem.*, IV, 1928, p. 182, Cobant a 1411 erat procurator generalis ordinis Praemonstratensis Romae. Postea episcopus Oseliensis (Oesel) renuntiatus est, 10 Augusti 1423. Postea S. P. Eugenius IV ipsi contulit episcopatum Raceburgensem, ubi tamen residere ipse nunquam datum est, eo quod capitulum Raceburgense alium candidatum elegit ad hunc episcopatum. — Fr. BAIX, l. c., p. 174 s., curriculum vitae Chr. Cobant exponit, iuxta documenta in Archivo Vaticano asservata. « Christian entre dans l'Ordre de Prémontré, à Ratzebourg, au monastère annexé à la cathédrale. Il aspire à la crosse abbatiale du monastère de Saint-Vincent à Breslau, mais rencontre un compétiteur. Lui-même a de forts appuis: le Chapitre général de l'Ordre et celui du pape Jean XXIII, si bien qu'il prend une obligation au paiement des services. Son compétiteur, A. Rugeler, tiendra la place ... Entretemps, Christian, qui avait bénéficié des faveurs de Boniface IX, quitta Ratzebourg et passa aux papes de Pise, Alexandre V et Jean XXIII, auprès desquels,

quem post obitum Iohannis [5]) conventus dicti monasterii S. Vincentii cum confirmatione Wenzeslai episcopi Wratislaviensis ac Gerhardi [6]) abbatis monasterii Steynfeldensis, o. Prem., Coloniensis diocesis, pater abbas dicti monasterii S. Vincentii, elegit.

1413, Oct., a Petro abbate et capitulo Premonstratensis abbas Vincentinus confirmatus » [7]).

il exerça la charge de procureur en Cour romaine, et aussi sous Martin V. Il devint familier du cardinal Odon Colonna, le futur Martin V, qui le conserva comme familier, commensal et chapelain. Ce pape le prit même pour confesseur. Christian avait perdu au concile de Constance son procès contre A. Rugeler; mais, parti de là, en compagnie de Martin V, il conserve son titre d'abbé de Saint-Vincent à Breslau, fait des avances d'argent au pape ou à la Chambre apostolique, qui alors était fort endettée. Favori de Martin V, Christian Cobant reçut en commende, par motu proprio, le monastère des Saints Alexis et Boniface à Rome, ainsi qu'une église paroissiale au diocèse de Passau, et, faute de mieux, une pension sur les revenus de Saint-Vincent à Breslau. Mais ce ne fut pas sans déception: les propriétés des Saints Alexis et Boniface seront ravagées et abandonnées; à Saint-Vincent (de Breslau), André Rugeler avait été remplacé par Jean de Briga et on y contestait même à Christian ses droits à une pension sur les revenus du monastère. Nommé évêque d'Oesel, dans la Baltique, par Martin V, en 1423, il paie les services. Il part, semble-t-il, pour prendre possession de son siège ; et y règler des affaires d'administration; mais on expulse, et il rentre en Curie. Enfin, pourvu, en 1431, par Eugène IV, de l'évêché de Ratzebourg, la malchance poursuit Christian Cobant: ses anciens confrères, ou le chapitre, ont leur candidat, qui, l'année suivante, est agréé par le Saint-Siège. Il meurt bientôt, avant le 22 octobre 1432, et son ancien compétiteur au siège d'Oesel reçoit aussi l'investiture de Rome ».

[5]) Iohannes Hartlip alii scribunt : Ioannes Hartlieb), abbas fuit aa. 1390-1409. De ipso legimus in chronico N. LIEBENTAL (ed.: L. SANTIFALLER: vide supra, n. 4) l. c., p. 109 s.: « Anno domini M°CCCXC primo electus est venerabilis pater et dominus Iohannes Hartlip secundus (nempe secundus Iohannes in serie abbatum abbatiae) in abbatem et pastorem monasterii sancti Vincencii et a Bonifacio papa nono pontificatus eiusdem anno secundo fuit confirmatus et obiit anno domini M°CCCCIX°, die decima sexta mensis aprilis et vixit in regimine feliciter XVIII annis et eciam fuit confirmatus per loci ordinarium videlicet Wenceslaum episcopum Wratislaviensem ».

[6]) Gerhardus iste, abbas Steinfeldensis (dioec. Coloniensis, nunc: Aquisgranensis), est Gerhardus a Wichterich, abbas aa. 1389-1412. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 195.

[7]) Petrus est abbas Praemonstrati, Petrus d'Hermi. Vide supra, n. 3.

75

1414

C. L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 273, refert :

Henricus Neu [1]) (abbas Bellelagiae) [2]), Episcopi Basileensis Humberti Vicarius generalis, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, renuntiatus anno 1412, a Capitulo generali anni 1414. Procurator Generalis Ordinis, pendente Constantiensi Concilio [3]), instituitur, eique Paternitatis ius in Portam-Coeli [4]) transfertur ».

76

1422

Capitulum Generale istud locum habuit in abbatia S. Foillani, prope Rhodium, in Belgio hodierno meridionali.

J. J. EVERS, in *Anal. Praem.*, VIII-IX (1932-1933) edidit *Formularium Praemonstratense II.* In hac editione, l. c., pag. spec., p. XIII, nr. 16 legimus die 10 octobris, statutum esse evulgatum de bonorum possessione. Huic statuto additur : « Actum in capitulo generali in monasterio S. Foillani, anno Domini M°XXXXmo (sic !) die X° mensis Octobris).

l. Pp. 216 s. eiusdem editionis, evulgatur procuratorium pro ambassiatoribus mittendis ad concilium universale (Basileense) pro

[1]) Abbas iste, qui a C. L. HUGO, l. c., dicitur « Neu », aliis vocatus: NERR. Ita N. BACKMUND, *Monasticon*, I. I, p. 360. Nerr abbas fuit aa. 1401-1418. Cfr. P.-S. SAUCY, *Histoire de l'ancienne abbaye de Bellelay*. Bibliothèque Jurassienne, 1958, pp. 77-87. Caput de hoc Abbate in isto libro agens, inscribitur: « Henri III, dit Hentzmann Nerr, de Delémont, 18e abbé ». L. c., p. 77.

[2]) Bellelagium seu Bellelay, in Helvetia (dioec. Basileensis). Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. II, pp. 358-360 et nota 1. — Episcopus Basileensis, de quo hic sermo fit, est Humbertus de Neuchâtel, episcopus aa. 1409-1418.

[3]) Concilium Constantiense locum habuit in civitate Constantiensi, in Helvetia, aa. 1414-1418.

[4]) Porta Coeli seu Himmelpforte sita erat in dioecesi Constantiensi, nunc Friburgi/Brisgoviae. Anno 1807 finem habuit. Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. I, p. 72 s.

Ordine Praemonstratensi. Et quidem in capitulo generali, die 11 Octobris 1422. Huius quidem tenoris :

« Universis presentes litteras inspecturis Petrus [1]), permissione divina Premonstratensis abbas et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos pro nobis, ecclesiis seu monasteriis nostris, universis et singulis personis ac locis nobis subiectis tam coniunctim quam divisim venerabiles in Christo fratres nostros, Iohannem, abbatem Martini Laudunensis [2]), Iohannem, abbatem Sancti Iudoci in Nemore [3]), alias Dompni Martini, Ambianensis, Egidium, abbatem Bone Spei [4]), Cameracensis, Philippum, abbatem de Lucerna [5]), Abricensis, Christianum Cobant, Raceburgensis [6]), et Theodoricum de Andel [7]), in iure

[1]) Agitur de abbate Praemonstratensi Petrus d'Hermi. Vide supra, p. 95, n. 3.

[2]) Abbas iste est Ioannes Vairet, abbas aa. 1392-1426. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 512.

[3]) Est Iohannes Senechal, a capitulo generali delegatus ad concilium Basileense, ita C. L. HUGO, *Annales*, t. I, col. 627. Senechal abbas fuit aa. 1418-1438. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 550.

[4]) Aegidius Maké, « sacrae facultatis Theologicae Parisiensis licentiatus » (C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 363). Abbas erat aa. 1421-1444. Ita N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 364; qui ipsum vocat Macquet. — De ipso hoc testatur *Necrologium Bonae Spei*, ad diem 6 Decembris: « Item commemoratio pie memorie viri morigerati dompni Egidii Maket, condam huius ecclesie tricesimi abbatis, qui vite laudabilis religiossimaeque conversationis semper extitit, pro quo in conventu officium solempniter est agendum, 1444 ». Cfr. E. BROUETTE, *Obituaire de l'abbaye de Bonne-Espérance, de l'Ordre de Prémontré*, Louvain, 1964, p. 252 s., qui in nota p. 13 (pag. 253) haec scribit: « Gilles Macquet ou Maket, né à Binche, devint 33e abbé de Bonne-Espérance, en 1421, et le resta jusqu'en 1444. Il était licencié en théologie de l'université de Paris et établit une confraternité de prières entre son monastère et l'abbaye de Saint-Martin de Laon ».

[5]) Abbas iste est Philippus Badin, abbas aa. 1407-1452. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, p. 28. Iuxta C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 97, erat « baccalaureus in decretis et altae scientiae vir ».

[6]) Christ. Cobant, vide supra, p. 95.

[7]) Theodoricus van Andel, mortuus a. 1433, fuit procurator Ordinis Romae, a. 1410. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. II, Bruxellis, 1902, p. 274. Iuxta hunc auctorem, conscripsit « Acta Concilii Constantiensis » deperdita. Cfr. etiam A. ERENS, *Thierry van Tuldel et la Commende en Brabant*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, pp. 321-356, qui, p. 324, haec scribit de Van Andel: « ... nous rencontrons un Thierry van Andel, un autre religieux de Tongerloo, occupant le poste de procureur de l'Ordre (à Rome), et qui fut chargé par le chapitre général de représenter l'Ordre aux conciles de Constance et de Pise ».

canonico baccalaureum dicti (sic !) monasterii Tongerlensis (sic !) religiosi, dicte Cameracensis diocesis, nostri predicti Ordinis monasteriorum fratres et canonicos, et quemlibet eorum in solidum, latores presentium, nostros facimus et constituimus et ordinamus veros et legitimos procuratores et ambassiatores ac nuntios speciales, ita quod non sit melior conditio occupantis sed quod unus eorum inceperit alter eorumdem prosequi, mediare valeat et finire, dantes et concedentes eisdem et cuilibet eorum in solidum plenam et liberam potestatem et mandatum speciale interessendi, comparendi et agendi pro nobis et universo Ordine nostro in universalis ecclesie concilio generali Papiensi (sic) vel alibi proxime celebrando, nos et Ordinem nostrum excusandi, audiendique omnia et singula que in eodem Concilio proponi, deliberari, concludique contigerit, terminos et dilationes petendi, supplicandi, officium iudicis vel iudicum implorandi, tractatis et tractandis in dicto concilio ac statutis et statuendis assentiendi, dissentiendi, contradicendi, opponendi, appellandi, si dictis procuratoribus vel eorum alteri visum fuerit opportunum, apostolos petendi, repetendi, iurandi in animas nostras tam coniunctim quam divisim, de calumpnia, de malitia et de veritate dicenda, alium vel alios procuratores loco sui tam coniunctim quam divisim substituendi, qui eamdem vel consimilem in premissis omnibus et premissorum quolibet habeat vel habeant potestatem, substitutum vel substitutos ab ipsis vel ab altero eorumdem quotiens sibi vel eorum alteri placuerit revocandi et onus huiusmodi in se reassumendi, et iterum resubstituendi, et generaliter omnia et singula faciendi, tam coniunctim quam divisim, que nos faceremus seu facere possemus si presentes essemus, etiam si mandatum exigant magis speciale, ratum et gratum habentes et plenius habituri quidquid per dictos procuratores nostros aut per substitutum aut substitutos ab ipsis aut ab altero eorumdem actum, factum gestumque fuerit aut etiam procuratum, promittentes sub ypoteca rerum nostrarum et Ordinis nostri, si necesse fuerit iudicatum, solvi et iudicio sisti, cum suis clausulis oportunis. In cuius rei testimonium sigillum nostri generalis capituli presentibus litteris duximus apponendum. Datum et actum in monasterio Sancti Foillani prope Rodium anno Dni M°CCCC° XXII, XIa die mensis Octobris, sedente nostro capitulo generali ».

2. P. 218 s. eiusdem *Formularii Praemonstratensis II.* editionis,

habetur et aliud documentum in eodem Capitulo generali evulgatum, huius tenoris :

« Petrus, permissione divina, etc. et abbatum, etc., venerabilibus nobis in Christo fratribus omnibus et singulis abbatibus, prepositis, prioribus, curatis et canonicis nostri Praemontratensis Ordinis ad quod presentes littere pervenerint, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum venerabiles fratres nostros Iohannem abbatem Sancti Iudoci in Nemore, Ambianensis, et Theodoricum de Andel [8]), in iure canonico baccalaureum, monasterii Tongerloensis religiosum Cameracensis diocesis, nostri Ordinis monasteriorum fratres et canonicos, ad apostolice et universalis ecclesie concilium generale pro certis negotiis, Ordinem nostrum concernentibus universum, duxerimus destinandos, vobis ipsos et quemlibet ipsorum cum sua comitiva sinceriter et Christi dilectione commendamus et tamquam nostra manu per hanc epistolam tradimus consolandos et in omnibus adiuvandos que utilitas Ordinis vel necessitas postulat et requirit, vos attente rogantes quatinus, cum ipsos vel eorum aliquos seu aliquem, sive in habitu religionis, sive dissimulato, — quod eis ex certis et rationabilibus causis indulgemus — cum sua comitiva per loca vestra ire vel redire contigerit, in vera caritate recipiatis et benigne tractetis eosdem cum omnibus rebus suis, per vestras terras et districtus transire libere permittentes ; et, si fuerint requisiti, per alienas salvum conductum prestetis vel prestari procuretis, eosdem, si necesse fuerit, hospitalitatis et humanitatis gratiam fraternaliter et caritative impendendo, nullasque memoratis ambassiatoribus molestias inferatis nec inferri permittatis, sicut vobis inferri non velletis in nationibus aliensis ; tantum de premissis faciendo, quod a Domino recipiatis mercedem et de impensa caritate fraternali leta referant et iocunda, in tantum quod universus Ordo vobis regratiari teneatur, presentibus usque ad mensem post terminationem dicti generalis concilii in suo robore permansuris. Datum et actum in monasterio Sancti Foillani prope Rodium sub sigillo nostri generalis capituli presentibus litteris apposito, anno Domini M°CCCC°XXII, XI die Octobris, sedente nostro capitulo generali ».

[8]) Nomina ista iam occurrunt in nn. 3 et 7 documenti praecedentis Capituli anni 1422.

77

1428

Annales de l'abbaye de Saint-Jean d'Amiens, Ordre de Prémontré, réunies et classées par le R. P. MAUR. DU PRE, traduites pour la première fois en Français, sur le Ms. Latin 101110 de la Bibliothèque Nationale, et publiées avec additions par Aug. JANVIER et Ch. BERARD. Amiens, 1899, haec habet, p. 113 :

« En l'an du Seigneur M.CCCC.XXVIII, dans un chapitre général de l'Ordre de Prémontré, tenu à Saint-Quentin de Vermandois, le 10e jour du mois d'Octobre, par les autres délégués de l'Ordre, furent installés notre Abbé Pierre et frère Jean le Moine [1]), autrement dit de Beauquesne, chanoine de cette église et curé de Notre-Dame d'Olincourt » [2]).

78

1430

In documento asservato in archivo abbatiae Averbodiensis, reg. 285, fol. 1 r° - 2 r° sermo fit, occasione difficultatum motarum contra abbatem Averbodiensem, Dan. Laecman, de Domino Praemonstratensi tunc praesenti *Lovanii*, ratione Capituli generalis. Cfr. V. VAN GENECHTEN, *Daniel Laecman, 22ste abt van Averbode* (1424-1441), in *Anal. Praem.*, XX-XXI, 1944-1945, pp. 73-163 ; in specie, pp. 84 et 146.

79

1431

In ms. 285 archivi abbatiae Averbodiensis, occasione quaestionis administrationis abbatis Laecman, dicitur, fol. 23, de illa

[1]) Agitur de abbate Petri de Bainviller, abbate aa. 1419-1432. Ita in libro du Pré-Janvier, p. 113. — N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, hunc abbatem vocat: Petrus de Bainvillers.

[2]) Olincourt est paroecia incorporata abbatiae S. Ioannis Ambianensis.

quaestione tractatum fuisse in capitulo generali anno 1431 celebrato *Valencenis* (Valenciennes, in Gallia septentrionali ; abbatia nostri Ordinis, Viconia, sita erat prope illam civitatem). Cfr. V. VAN GENECHTEN, l. c., 101-104. Capitulum illud initium sumpsit die 9 Octobris.

80

1432

1. In Capitulo generali celebrato Bruxellis, anno 1432, iterum actum est de eadem quaestione administrationis abbatis Laecman. Cfr. V. VAN GENECHTEN, l. c., p. 143.

2. Tum *ms. Nancy 994*, fol. 24 v° - 25 r°, tum *ms. Laon 538*, fol. 53-54, referunt statutum sequens evulgatum in Capitulo generali anni 1432, et quidem Bruxellis.

Titulus fragmenti in utroque manuscripto est : « Fragmentum Capituli Generalis anni 1432. Quod extat in Archivo S. Martini Laudunensis, sigillatum in cera viridi ». Textus autem fragmenti est eiusmodi :

« Ioannes permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale. Reverendo in Christo Patri et Domino Praemonstratensi, salutem et sinceram in Domino charitatem. Relatu Venerabilis nobis in Domino fratris Abbatis Sancti Martini Laudunensis [2]) didicimus, qualiter venerabilis nobis in Domino frater Abbas Montis S. Martini [3]) ad extraordina-

[1]) Iohannes iste est Iohannes de Marle II, qui fuit abbas aa. 1423-1436. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, Parisiis, 1872, p. 132 s.: « Il porta dignement la charge et la responsabilité de l'abbé général. Dans ces temps de guerre dévastatrices, de dissensions civiles, de schismes désolants, quelquefois même de discordes intestines dans les communautés, la discipline monastique, les pasteurs étaient poursuivis, les brebis dispersées; il sut en parcourant et réformant ses monastères, guérir les plaies les plus vives et relever l'ordre pour ainsi dire tombé en décomposition. Il trouva pour cette œuvre de restauration un immense appui dans les réunions du chapitre général qu'en dépit des obstacles de toute nature il put assembler annuellement tant à Prémontré que même à St-Quentin en 1426, à Bruxelles en 1432 ».

[2]) Abbas Laudunensis (tunc: sedes episcopalis; nunc: dioec. Suessionensis), erat tunc Balduinus de Braine. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 512.

[3]) Mons Sancti Martini (tunc: dioec. Cameracensis; nunc: Suessionensis) habebat tunc Abbatem, cui nomen: Ioannes de Monbrehoin. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 326.

267/587

riam confugiens iurisdictionem et audientiam, contra Ordinis nostri regularia instituta, coram Officiali Cameracensi bona Ecclesiae praepediendo, ipsum minus iuste et indebite impetivit, quod non in modicum cedere dignoscitur Ordinis nostri praeiudicium, scandalum etiam et contemptum. Quapropter Vos requirimus et praesentium tenore rogamus ut dictum Abbatem Montis Sancti Martini sometis et moneatis quatenus super impetione facta coram dicto Officiali Cameracensi desistat, alias infra triduum sententiam in Statutis Ordinis nostri descriptam contra Praelatos talia attentantes viriliter exequamini. Iniungentes praeterea saepe nominato Abbati Montis sancti Martini ut tradat litteras honorabiles et sufficientes super eo quod minus iuste et irreverenter praememoratum Abbatem S. Martini Laudunensis impetivit, promittens in iisdem litteris de caetero se talia non attentare. Datum Bruxellis, sub sigillo nostri Capituli Generalis, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, die undecimo Octobris, sedente ipso ibidem propter Francorum guerras.

Cunctis pateat evidenter et sit notum, quod nos Ioannes, Abbas Ecclesiae Montis Sancti Martini [4]), Ordinis Praemonstratensis, Cameracensis dioecesis, Ius, quod praetendebamus habere, seu praetendimus, super quodam iocali ab Ecclesia Sancti Martini Laudunensis, Ordinis (nostri), ante diutius possesso, nuper prosequi cupientes, Privilegiorum et Statutorum Regularium Ordinis pro tunc immemores ad extraordinariam Iurisdictionem et Audientiam aliam quam Ordinis, confugiendo, Reverendum patrem Dominum Abbatem praelibatae Ecclesiae Sancti Martini curavimus negligenter impetere, quod cedebat in grave praeiudicium Privilegiorum et libertatum eiusdem Ordinis, personarumque non modicam laesionem. Quare nos saniori utentes consilio, male inchoata pro viribus corrigere desiderantes, tenore praesentium coram cunctis, quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, recognoscimus praemissa minus debite fuisse facta, et id iocale coram extraordinaria Iurisdictione non debuisse primitus prosequi, imo potius Ordinis iustitiam implorasse, Reverendos in Domino Patres, Dominum Praemonstratensem et Sancti Martini Laudunensis Ecclesiarum Abbates, cum ea, qua decet reverentia postulantes, quatenus super praemissis, et aliis quibuscumque vobis iniuriosis intervenientibus nobis veniam concedere dignentur, talia non velle de caetero attentare.

[4]) Vide n. 3.

Gh 5334

fideliter promittentes. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum Abbatialem duximus praesentibus apponendum. Datum apud S. Quintinum in Viromandia, anno Domini millesimi quadringentesimo secundo, vigesima die mensis Octobris » (Sigillatum cera viridi).

81

1433

Capitulum Generale huius anni celebratum dicitur in abbatia Ninoviensi, in Belgio.

H. VAN GASSEN, *Geschiedenis van Ninove*, t. II, 1960, p. 178, scribit abbatem Ninoviensem, hoc anno 1433, ex civitate Antverpiensi accepisse pisces in ordine ad Capitulum, quod in canonia sua mox celebraretur.

82

1434

1. P.-S. SAUCY, *Histoire de l'ancienne abbaye de Bellelay*. Bibliothèque Jurassienne, 1958, p. 90, refert de abbate Petro Martini, abbate Bellelagiensi (in Helvetia hodierna) : « Pierre, surnommé Martini, de Sarothoine, en Artois, était profès à Vicogne près d'Arras (potius : près de Valenciennes), lorsque le chapitre général de Prémontré, en 1434, le désigna pour venir remplir le siège abbatial de Bellelay laissé vacant par la mort de Jean de Châtelet. Il est probable que ce choix, qui dérogeait au mode ordinaire d'élire un abbé de Bellelay, avait été fait à la prière et à la recommandation d'un membre de cette abbaye présent au chapitre général. Le sujet nommé fut toutefois acceuilli avec faveur à Bellelay ; car, continue l'annaliste, ce choix ne pouvait être meilleur. Pierre était versé dans les matières ecclésiastiques et civiles, très propre à mener les affaires ardues et difficiles ; et au milieu des circonstances critiques de cette époque, son ordre et le concile de Bâle le choisirent souvent pour médiateur, quelquefois pour arbitre et pour juge ».

2. *Ms. Nancy 994*, fol. 30 v° - 32 v° refert decretum Capituli

generalis *pro reformatione vestium*. — Capitulum hoc celebratum fuit *Mechliniae*.

Legimus hoc loco primo copiam authenticam litterarum abbatis generalis, in quibus decisio Capituli exponitur ; traditur deinde ipsum decretum Capituli « Generalis de a° 1434 circa habitum religiosum Praemonstratensium sub poena suspensionis ». In hac copia habetur repetitio eorum quae in litteris Abbatis generalis exponuntur. — Ipsum decretum etiam refertur apud C. SAULNIER, *Statuta Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis renovata 1630*. Ed. 3a. Luxemburgi, 1776, p. 197 s.

En tenor textus relati in *ms. Nancy 994*, fol. 30 v° - 31 r°.

« Ioannes [1]) permissione divina praemonstratensis Abbas, et Abbatum ipsius Capitulum Generale. Universis et singulis Visitatoribus annuis Commissariis nostris tam praesentibus quam instituendis, caeterisque Praelatis, Prioribus, et Canonicis Ecclesiae Praemonstratensis Ordinis et discretis viris, Notariis et Tabellionibus publicis ad quos praesentes pervenerint, ubilibet constitutis, Salutem in Domino, et studiosam diligentiam in commissis adhibere. Aequitatis ratio suadet et approbat, ut contra illos Ordinis nostri subditos, nostro exigente officio, mediante iustitia debeamus vigilantes procedere, qui suae salutis immemores et honoris prodigi a votis suae professionis aberrant et bonis exorbitant moribus, suisque Superioribus in licitis et honestis obedire vilipendunt. Sane nuper sicut et alias a magnificis et gravibus viris omni exceptione maioribus etiam fide dignis Ordinis nostri Praelatis et aliis probis personis querulose didicimus et audivimus dolenter, qualiter candor sacrae religionis nostrae fama laus et honestas quamplurimum denigratur, minuitur et scandalizatur undique super eo quod nonnulli Praelati et Canonici, pastores seu curati, et quod aegre ferimus, in generalibus studiis considentes et Scholares Ordinis nostri in tonsura, habitu et ornatu exteriori multipliciter deformati et curiosi tam intra quam extra sua monasteria et claustra solent apparere, et in quantum in eis est, iuxta modum et consuetudinem saecularium locorum colore habituum tantummodo reservato, seipsos vestire conantur, ornare et incedere insolute, super quibus deformitatibus exterioribus vestibus et ornatu indecentibus per Venerabiles fratres Abbates, Praepositos et Priores, visitatores annuos et commissarios nostros repetitis vici-

[1]) Iohannes iste est Iohannes de Marle II. Vide supra, ad nr. 80, n. 1, p. 102.

bus diversis conventibus et multis monasteriis praesertim in Circariis et partibus Allemanniae et locis circumvicinis fuerunt amicabiliter exorati, deinde moniti et instanter saepius requisiti, quatenus habitus, vestes et ornatus huiusmodi etiam pileos et cingulos religioni nostrae non conformes relinquerent vel procurarent reformari, signanter cappas et tunicas nimia brevitate vel amplitudine reprehensibiles, etc. subductas pellicibus exquisitis aut aliis foederaturis extra oram earumdem tunicarum apparentibus habentes amplas manicas ad cubitum, et collaria ad collum praetensa, cappas quoque non apertas a parte anteriori, cappucia non habentes consuta et scapularia consimiliter, quae numquam nisi succincta absque cappa portari debent, eademque scapularia habentia stricta, antistipendia circa latus connexa, et alia cappucia vel pileos latos, et quod periculosius est, nigros vel griseos, ad modum saecularium super capita sua posita et eis cooperta. Quia Praelati et Canonici praesignati attentius iuxta Regulae, Statutorumque Ecclesiae matricis de caetero ferrent cappas et tunicas non notabiles, studentes potius placere moribus et simplicitate, quam vestibus et humana curiositate, habeantque cappucia ipsis cappis consuta, quae cappae debent esse in media parte anteriori scissae et apertae. Insuper scapularia portarent non semper sicut aliqui consueverunt, sed quando expedit ipsa deferenda cum antistipendiis amplis circa modum circa latera numquam colligatis vel connexis, imo potius ante pectus et post tergum pendentibus succinctis. Deinde cappuccia satis parva gerant super scapulas extensa sub cucullo cappae vel scapularis posita et circumamicta pileis albis condecentibus nisi in longi itineris necessitate numquam celanda, nigris vero vel griseis abiciendis. Corrigias quoque seu cingulos in moderata curiositate notatos et pretiositate evitarent. Necnon rasuras decentes desuper aures non modicas sicut decet religiosos. Studerent habere, prout haec et consimilia in Decretis Sanctorum, Patrum regula, privilegiis et Statutis nostris regularibus designantur, et laudabili consuetudine multorum monasteriorum Ordinis clarescunt et apparent, ita quod in incessu, habitu et aliis praesignatis nihil fieret quod cuiusquam offenderet aspectum, sed quod eorum deceret sanctitatem. Verumtamen iidem Praelati et Canonici Pastores seu curati et Studentes obedientiae iugum postponentes, sicut praescribitur, suae salutis immemores fama prodigi spretis hortationibus, monitionibus et requisitionibus laudabilium personarum, Visitatorum ac Commissariorum nostrorum se nullatenus emendarunt, imo verius hoc anno quam praeteritis existentes

et de die in diem super talibus gaudentes novitatibus memoratas vestes habitus et ornatus cum tonsuris suis neglexerunt reformare, quod cedit in magnum Ordinis nostri scandalum et nostrae vilipendium iurisdictionis, necnon et suarum periculum animarum. Quocirca vobis omnibus et singulis praesignatis subditis nostris in virtute salutaris obedientiae firmiter et districte praecipiendo mandamus, quatenus receptis praesentibus totiens quotiens antedictos Praelatos, Canonicos curatos seu pastores et studentes sive scholares Ordinis nostri ubilibet constitutos praesertim in Circariis et partibus Alemaniae et locis circumvicinis locatos videritis et repereritis, ut praemittitur, in vestibus aut pileis, cingulis et tonsura deformatos adhuc de abundanti moneatis et diligenter requiratis, quos etiam et singulos in diffinitionibus nostri Generalis Capituli monuimus, et tenore praesentium sub poenis infra scriptis iterum et instanter requirimus, ut infra decem dierum tres pro primo, tres pro secundo, et reliquos quatuor pro tertio et peremptorio termino assignamus, praesignatas vestes, cappas, tunicas, scapularia reforment, cappucia, pileos, corrigias, seu cingulos deponant vel emendent, tonsuras et rasuras reparent, seu reformari, emendari et reparari procurent, decentius portent et gravius incedant. Alioqui omnes et singulos antedictos Praelatos et Canonicos decem dierum praefixo elapso ab officiis Divinorum, ab ingressu Ecclesiae suspendimus in his scriptis, quam suspensionem, si per alios sex dies animo, quod absit, sustinuerint, vel si aliquis eorumdem sustinuerit indurate, ex tunc prout ex nunc, et nunc procul ex tunc in his scriptis excommunicamus et excommunicatos declaramus, quos suspensos et excommunicatos deinceps diebus Dominicis et festivis in Ecclesiis, Monasteriis, Capitulisque vestris palam et publice, denuntietis et promulgetis ; ab huiusmodi denuntiatione et promulgatione non cessantes, donec et quousque a nobis Abbate Praemonstratensi aut Ambassatoribus et Commissariis nostris in Basilea [2]), vel altero eorumdem seu Abbate Parcensis Monasterii [3]) prope Lovanium suae absolutionis beneficium meruerint obtinere. Ulterius contra Praelatos et Pastores rebelles et ino-

[2]) Eo tempore in civitate Basiliensi, celebrabatur Concilium. Ordo Praemonstratensis ad hoc Concilium miserat legatos. De quibus in Capitulo Generali anni 1422. Vide supra, p. 98.

[3]) Abbas Parcensis (aa. 1414-1434) erat Gerardus Van Goetsenhoven. Ipsi, a. 1434, successit Walterus v. Beringen. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. II, p. 321.

bedientes processuri ad eorum beneficiorum suspensionem et privationem, contra vero studentes et scholares ad eorum remissionem in proprias Ecclesias et Monasteria, caeterasque poenas ipsis merito infligendas, taliter quod caeteris Canonicis, Conventualibus cedat in exemplum. Et quidquid super praemissis omnibus et singulis per debitam feceritis executionem, Nobis Abbati Praemonstratensi et Capitulo nostro Generali coniunctim et divisim, vel Ambassiatoribus nostris aut Abbati Parcensi suprascriptis referre aut fideliter rescribere nullatenus omittatis. Datum in Civitate Mechliniensi, sub sigillo nostri Capituli Generalis, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, die undecima mensis Octobris, sedentis ibidem propter Francorum guerras nostro Capitulo Generali ».

De Pratis, f.f.m.

(alia manu). Praesentem copiam per me collationatam cum suo originali concordare attestor hac mea subscriptione et appositione soliti notariatus signo.

(Signatum) : v. Odendorff, publicus authoritate apostolica et caesarea necnon in Canonia Imperiali immatriculatus Notarius.

83

1437

Formularium Praemonstratense II., editum a J. J. EVERS, in *Anal. Praem.*, VIII-IX, 1932-1933, duo documenta habet, a Capitulo Generali anni 1437 promulgata. Ex his documentis rescimus Capitulum istud celebratum fuisse *Lovanii*. In utroque hoc documento agitur de Commissione data, in forma communi, ad visitandum et tallias Ordinis debitas recipiendas.

a. « Iohannes, permissione divina, etc. [1]), et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, venerabili nobis in Christo fratri, abbati Sancti Iudoci in Nemore, alias Dompnimartini [2]), nostri Premonstra-

[1]) Iohannes iste est Iohannes de la Fère, abbas aa. 1436-1443. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, Parisiis, 1872, pp. 133-137.

[2]) Abbas Dommartinensis tunc erat Iohannes Senechal. Qui etiam a Capitulo Generali a. 1422, designatus erat ut, nomine Ordinis, cum aliis, interesset Concilio Basiliensi. Cfr. supra, n. 3, p. 98.

tensis Ordinis, Ambianensis diocesis, salutem in Domino et in commissis diligentiam adhibere studiosam. Vobis in virtute sancte obedientie firmiter et districte precipiendo mandamus, et harum serie committimus, quatinus vos, assumpto vobiscum aliquo nostri Ordinis zelatore prelato vel canonico litterato, visitetis hoc anno omnia et singula monasteria, ecclesias et loca dicti Ordinis nostri in circaria Pontivi [3]) constituta vel constitutas tam in spiritualibus quam temporalibus et tam in capite quam in membris, Deum solum habendo pre oculis, sollicite et attente corrigentes et reformantes in eisdem que secundum Deum, privilegia et statuta nostri Ordinis corrigenda reppereritis seu etiam reformanda ; ceterum tallias seu contributiones ordinarias et extraordinarias Ordini nostri debitas, tam pro presenti quam retroactis annis, petendi, exigendi et recipiendi ac quittancias de receptis dandi et concedendi ; contra non solventes excommunicationis sententiam in suis propriis ecclesiis fulminandi et alias contra ipsos, iuxta Ordinis nostri statuta, debite procedendi ; illos vero, qui ob defectum non solutionis predictarum talliarum excommunicationis sententiam incurrerint et eas solverint cum effectu absolvendi ; ac omnia et singula faciendi, disponendi et ordinandi que visitationis requirit officium et que monasteriis ac eorum bonis utilia et decentia noveritis seu quomodolibet profutura, vobis tenore presentium plenariam concedimus facultatem. Et quidquid in et super premissis feceritis nostro proximo capitulo generali capitulo referre aut rescribere nullatenus omittatis ; contradictores et rebelles, si qui fuerint de Ordine nostro, per censuram ecclesiasticam aliasque poenas Ordinis viriliter compescendo, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachii secularis auxilio. Datum Lovanii, sub signo nostri generalis capituli, anno Domini Millesimo ccccm° tricesimo septimo, die decima mensis Octobris, sedente nostro capitulo generali ».

b. « Johannes, etc., et eiusdem Ordinis Abbates per generale capitulum deputati, venerabili nobis in Christo fratri, abbati Dei Loci [4]), nostri Premonstratensis Ordinis, Senonensis diocesis, salu-

[3]) De Circaria Pontivi (Poitou) agitur apud N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, pp. 541-572. Abbatia Dommartini ad hanc Circariam pertinebat.

[4]) Dei Locus seu Dilo, in diocesi Senonensi. Suppressa est haec abbatia a. 1790. Abbas, anno 1437, cum certitudine determinari non potest, eo quod series Abbatum huius monasterii insufficienter nota sit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, pp. 499-501.

tem et sinceram in Domino caritatem. Vobis in virtute sancte obediencie firmiter et districte precipiendo mandamus et mandando committimus, quatinus, assumpto vobiscum aliquo nostri Ordinis zelatore prelato vel canonico litterato, visitetis hoc anno omnia et singula monasteria nostri antedicti Ordinis in circaria Alvernie constituta, tam in... (sicut in documento praecedenti). Datum Lovanii sub sigillo nostri generalis capituli anno Domini M° cccc° xxxvii°, die xxi (= pro XI, nam Capitulum finem habuit die 11a Octobris), mensis Octobris ».

84

1438

Anno 1438, Capitulum Generale iterum Lovanii convenit. *Formularium Praemonstratense* II, l. c., quaedam documenta huius Capituli continet. Quorum huiusmodi tenor erat.

a. Cuidam Abbati assignatio fit de talliis Ordinis recipiendis, quousque eidem plenarie fuerit satisfactum. Cfr. *Formularium Praem.* II, l. c., p. 222 s.

« Universis presentes litteras inspecturis Johannes, permissione divina Premonstratensis abbas [1]), et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale : noverit universitas vestra quod nos in deductionem trecentarum et xxii coronarum Francie, per nos debitarum venerabili in Christo abbati Sancti Iudoci in nemore, alias Dommartini [2]), et suo monasterio, assignavimus et tenore presentium assignamus tallias seu contributiones ordinarias monasteriorum nostri Ordinis situatorum in circaria Pontivi [3]) et contributiones prelatorum Anglie, donec et quousque fuerit sibi plenarie satisfactum, dantes eidem auctoritatem nomine nostro dictas tallias seu contributiones recipiendi et quitandi de receptis et differentes aut nolentes satisfacere per censuram ecclesiasticam compellendi. In quorum testimonium sigillum nostri generalis capituli duximus apponendum ».

[1]) Cfr. de isto abbate generali Iohanne ad nr. 83, n. 1, p. 108.
[2]) De abbate isto Dommartinensi, Senechal, cfr. supra, n. 2, p. 108.
[3]) Abbatia Dommartinensis ad circariam Pontivi (Poitou) pertinebat.

b. Die 11 Octobris 1438, datur commissio ad visitandum et tallias recipiendum cum potestate subdelegandi. L. c., p. 225 s.

« Johannes, permissione divina, etc., et abbatum, etc., venerabili nobis in Christo fratri Johanni Toppeti, ecclesie Gaudiivallis abbati, nostri Premonstratensis Ordinis, Carnotensis diocesis, salutem in Domino et studiosam in commissis diligentiam adhibere. Vobis, de cuius discretione, scientia et Ordinis zelo plurimum confidimus in Domino, in virtute sancte obediencie firmiter precipiendo mandamus, et harum tenore committimus quatinus, assumpto vobiscum aliquo nostri Ordinis zelatore prelato vel canonico litterato ad infrascripta, si opus fuerit, subdelegando, visitetis omnia et singula monasteria et loca nostri Premonstratensis Ordinis in circariis et artibus Frizie, Westphalie, Wadegocie, Yveldie, Suevie et Bavarie, etiam Lotharingie et Normannie constituta, tam in spiritualibus quam in temporalibus, et tam in capite quam in membris, Deum solum habendo pre oculis, corrigendo et reformando in eisdem que secundum Deum, privilegia et statuta Ordinis corrigenda reppereritis seu etiam reformanda, quemadmodum per alias nostras patentes litteras vobis et collegis vestris, commissariis et procuratoribus nostris in generali Basiliensi concilio deputatis, coniunctim et divisim dudum commissum et ordinatum fore dinoscitur, et ampliori forma articulos reformationis circa nostri Ordinis essentialia continentes exsecutioni viriliter demandando, tallias insuper sive contributiones Ordini quomodolibet debitas, tam pro presenti et instanti quam retroactis annis petendi, exigendi et recipiendi quittanciasque de receptis tradendi, necnon contra solvere recusantes penas et sententias excommunicationis Ordinis declarandi et adversus ipsos non solventes iuxta Ordinis nostri statuta procedendi ; illos vero qui propter non solutionem predictarum talliarum sive contributionem excommunicationis sententiam incurrerint et eas solverint cum effectu absolvendi et absolutos proclamandi ; atque omnia et singula faciendi, disponendi et ordinandi que ad premissa omnia et alia requirerentur, et que monasteriis et personis eorumdem seu communitati Ordinis honesta, decentia pariter et utilia esse noveritis seu quomodolibet profutura, vobis ac subdelegatis vestris facultatem harum serie presentium in suo robore, per biennium a data presentium computandum duraturarum, damus, committimus vices nostras cum nostre plenitudinis potestate. Et quidquid super premissis feceritis nobis coniunc-

tim vel divisim in nostro generali proximo capitulo referre aut rescribere nullatenus omittatis. Quodque omnes et singulos Praelatos monasteriorum utriusque sexus supradictis in partibus et circariis constitutorum iuxta dispositionem iuris et formam statutorum Ordinis nostri per censuram ecclesiasticam compellere debeatis, ut ipsi secundum ecclesiarum suarum facultates vobis aut subdelegatis vestris in hac parte ordinandis expensas rationabiles et viaticum solvi consuetum tribuere et concedere vobis teneantur uberose ; contradictores, si qui fuerint de Ordine nostro vel rebelles per censuram ecclesiasticam et alias penas Ordinis viriliter compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Lovanii in Brabantia, sub sigillo nostri generalis capituli, anno Domini M°CCCC° xxxviii°, die xia mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali ».

c. Eadem die, 11 Octobris 1438, in eodem Capitulo generali, Lovanii celebrato, fit inhibitio cuidam religioso, quondam abbati, per commissarios capituli generalis, sub poenis Ordinis, ne molestet modernum abbatem suum vel trahat ad audientiam extraordinariam. L. c., p. 235 s.

« Johannes, permissione divina [4]), etc., et abbatum, etc., venerabilibus in Christo fratribus Agie Minoris abbati [5]), Adelbergensis [6]), et Sorettensis [7]), nostri Premonstratensis Ordinis, Constantiensis diocesis, ecclesiarum prepositis, salutem et in commissis diligentiam adhibere studiosam. Ad nostram veridicorum relatu pervenit notitiam, quod frater Balthasar Villici, religiosus monasterii Ursbergensis, pro nunc suis exigentibus demeritis a dignitate abbatiali destitutus et amotus, quantum in ipso est nititur venerabilem fratrem nostrum Wilhelmum, abbatem Ursbergensem [8]), debite et canonice in ipsa prelatura per nostros commissarios restitutum, molestare, et

[4]) Cfr. de isto abbate generali Iohanne, n. 1, p. 108.

[5]) Minor Augia, seu Weissenau, in dioecesi Constantiensi, nunc Rottenburgensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, pp. 88-90. Anno 1420, Iohannes Fuchs abbas erat in hoc monasterio.

[6]) Adelberg, in eadem fere regione ac Minor Augia situm erat. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 62 s. Anno 1440, Rupertus abbas erat.

[7]) Sorethum seu Schussenried, in Suevia Superiori, eiusdem dioecesis ac Minor Augia. Cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 83-85.

[8]) Ursberg, in Suevia situm, in dioecesi Augustana (Augsburg). Cfr. N. BACKMUND, l. c., pp. 86-88.

Ordinis audientiam subterfugiendo, coram iudice extraordinario in causam trahere, in contemptum religionis et vilipendium non modicum nostre iurisdictionis. Quamobrem vobis coniunctim, et cuilibet vestrum in solidum, si ad hoc pariter vacare non potueritis, in virtute sancte obedientie firmiter et dictricte precipiendo mandamus et mandando precipimus, quatinus prenominato frati Baltazar, vice et auctoritate nostra et sub penis Ordinis inhibeatis quod prememoratum Wilhelmum, abbatem suum Ursbergensem, ratione sue restitutionis per nostros commissarios, ut premittitur, legitime et debite facte (quam quidem restitutionem abbatialis dignitatis, et generaliter omnia et singula acta et actitata eadem concernentia, per vos eadem auctoritate nostra laudari, approbari, ratificari et confirmari volumus) quovis modo de cetero non presumat molestare quominus pacifica possessione predicte dignitatis valeat gaudere. Quodque si idem frater ab huiusmodi infestatione seu molestatione indebita noluerit desistere, ipsum ad nostrum citetis proximum generale Capitulum favente Altissimo Bruxelle celebrandum. Nam quantum ad hoc et premissa quelibet ac eadem concernentia vobis concedimus nostram potestatis plenitudinem. Et quidquid feceritis in premissis, seu alter vestrum fecerit, nostro antedicto generali capitulo referatis. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam et alias Ordinis penas compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Lovanii, sub sigillo nostri generalis capituli, anno Domini M° quadringentesimo XXXVIII die xia mensis Octobris, sedente ibidem, propter Francorum guerras, nostro capitulo generali ».

85

1440

Hoc anno, Capitulum generale celebratum fuit in Binche, civitate Hannoniae (Belg.). Prope hanc civitatem sita erat abbatia Bonae Spei ; haec abbatia habebat in illa civitate hospitium. *Formularium Praemonstratense II*, editum a J. J. EVERS, l. c., documenta quaedam ex hoc Capitulo generali emanata refert.

a. L. c., p. 249 s. : Commendatur visitator apud universos Christifideles per Capitulum generale.

« Universis et singulis Christifidelibus, dominis prelatis ecclesiasticis et principibus secularibus cuiuscumque status, preeminentie ac gradus existant, per inclitas nationes Germanie atque regna Hungarie, Polonie, Bohemie ac partes circumiacentes in caritate Domini constitutis, Iohannes, permissione divina Premonstratensis humilis abbas [1]), ac abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, salutem, et nostre religioni benignum in Domino favorem impertiri. Ad hoc semper vigilare decet nostre mentis affectio, ut nostra pia religio, cuius rami usque ad mare, ymmo trans maris terminos se extendunt, secundum iuris et legum dispositionem, etiam decreta et statuta antiquorum nostri Ordinis, in augmentum divini officii diligenter observentur et mores hominum de bono in melius prosperentur. Hoc igitur sancto excitati proposito, cupientes ex precordiis quod suum sorciatur effectum, dilectum nostrum et benemeritum virum, virtutibus ac scientia multipliciter redimitum, fratrem Iohannem Toppeti, doctorem decretorum, nuper priorem Premonstrati, nunc abbatem Gaudii Vallis [2]), nostri Premonstratensis Ordinis, Carnotensis diocesis, de cuius discretione, providentia et Ordinis nostri zelo plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad prenominatam nationem et regna et partes cum nostris patentibus litteris et commissionibus visitandi gratia et reformandi in monasteriis seu coenobiis utriusque sexus nostri Premonstratensis Ordinis, que secundum Deum, privilegia et statuta regularia nostra cum suis assessoribus corrigenda repererit seu etiam reformanda, duximus transmittendum. Quapropter vobis omnibus et singulis, ad quos presentes pervenerint, humiliter et devote supplicamus quatinus memoratum abbatem harum exhibitorem in huiusmodi visitationis cursu, humilium precum nostrarum intuitu, habere dignemini recommissum et totiens quotiens tam eundo quam redeundo per loca et districtus vestros ire ac ad vos declinare contigerit, eundem, pie gestantes ad eum viscera, benigno

[1]) De isto abbate generali, cfr. ad nr. 83, n. 1, p. 108.

[2]) Gaudii Vallis, seu Joyenval, in dioc. Carnotensi (Chartres), nunc Versailles. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 554-556. Toppeti seu Touppet ibidem abbas fuit aa. 1432-1440. Antea per plures annos fuit prior Praemonstratensis abbatiae. Ipsi plures visitationes in regionibus exteris commissae fuerunt. Ita. v. gr., pro componendis difficultatibus in abbatia Averbodiensi, tempore abbatis Laecman. Cfr. V. VAN GENECHTEN, *Daniel Laecman, 22ste abt van Averbode*, in *Anal. Praem.*, XX-XXI, 1944-1945, pp. 85, 147, 149-155. De curis Toppeti pro Collegio Praemonstratensi in civitate Parisiensi, cfr. J. JOHN, *The College of Prémontré in Mediaeval Paris*, in *Anal. Praem.*, XXVIII, 1952, p. 150 s.

favore, consilio assistentes et auxilio in omnibus confovere dignemini. Etiam si vestras excellentias requisierit salvum prestantes conductum ipsum abbatem cum sua comitiva rebus et bonis permittatis abire et vestros dictrictus feliciter exire, tantum super hiis, patres et domini, facientes, quantum in causa simili et maiori nobis possibili vobis ac vestris per nos cuperetis adimpleri, et quod ab Omnipotenti cunctorum retributore bonorum et viatorum directore proinde debeatis premia recipere sempiterna. Datum Binchii, in hospitio monasterii nostri Ordinis Bone Spei, sub sigillo nostri generalis capituli, anno Domini Millesimo cccc° xl°, die undecima mensis Octobris, sedente nostro capitulo generali ».

b. L. c., p. 269 s. : Commissio abbati Gaudii Vallis concessa pro reparatione Collegii Parisiensis.

« Johannes, permissione divina, etc. [3]), et abbatum, etc., venerabili nobis in Christo fratri Johanni, abbati monasterii Gaudii Vallis [4]), Decretorum doctori, nostri Premonstratensis Ordinis, Carnotensis diocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Quia bonum zelum et sinceram affectionem sepius experti sumus erga nos et nostrum Ordinem generaliter universum, signanter ad necessariam reparationem collegii scolarium nostri Ordinis Parisius fundati [5]) procurandam, nunc, ut veraciter intelleximus — proh dolor ! — edificiis et structuris necessariis plurimum desolati, cui quidem collegio propter vicinitatem et auctoritatem quas Parisius habere dinoscitur aptius et commodius quam quidam alii subvenire potestis et cooperari : hinc est, quod fraternitatem vestram, nobis hactenus confidentissimam, requirimus et hortamur, etiam auctoritate nostra eidem tenore presentium committimus quatinus de talliis et contributionibus nostri Ordinis quomodolibet colligendis seu bonis vestri monasterii Gaudii Vallis aut alias per vestram industriosam discretionem acquisitis et acquirendis, huiusmodi necessarias et decentes reparationes fieri ac facere procurari velitis iuxta posse, adeo quod fraternitas vestra in facultate decretorum Parisius legendo, si placet, et religiosi scolares nostri Ordinis presentes et illuc adventuri eodem in collegio honeste et religiose videndo, etiam actus frequentando scolasticos possint et debeant, quantocius accommode fieri poterit.

[3]) Cfr. n. 1.
[4]) Cfr. n. 2.
[5]) Cfr. n. 2.

commorari. De et super quibus dirigendis et adimplendis plenam facultatem et specialem licentiam vobis concedimus per presentes, promittendo vobis ac subrogandis coadiutoribus vestris bona fide super hiis reparationibus et structuris faciendis et dirigendis per nos vel a nobis deputandos velle audire legalem computationem et eam admittere, necnon de misiis faciendis et alias exponendis supra receptas et collectas Ordinis plenam restitutionem dare vel realem facere solutionem. In quorum premissorum fidem et testimonium sigillum nostri generalis capituli duximus presentibus appendendum. Datum Binchii, in domo monasterii Bonae Spei, anno Domini M°cccc°xl° die xia mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras, nostro capitulo generali ».

c. L. c., p. 268, habetur documentum eiusdem diei (11 Octobris), et anni Capituli generalis (1440), in quo acceptatio et admissio exponitur compotorum abbatis cuiusdem de talliis Ordinis et receptis et expoesitis.

« Nos, Iohannes, permissione divina, etc. et abbatum, etc. Notum facimus universis, presertim quorum interest, et singulis presentes inspecturis quod nos, capitulariter congregati, audiendo et diligenter inspiciendo tam per nos quam venerabiles quosdam fratres nostros abbates, ad hoc specialiter deputatos, compota et rationes venerabilis fratris nostri Iohannis, abbatis Gaudii Vallis [6]), nostri antedicti Ordinis, super omnibus receptis circariarum et provinciarum totius Allemanie, Burgundie, Lotharingie, Alvernie et aliquorum Francie monasteriorum, nostri Ordinis, necnon misiis et expositis eundo ad generale Basileense concilium ibidem stando, redeundo et aliunde facta et factas a triennio circa, nostra auctoritate levatis et collectis atque distributis et effusis, huiusmodi compota et rationes legaliter facta et reddita, etiam factas et redditas, admisimus et acceptavimus, etiam admittimus et acceptamus, et harum serie approbamus, quorumque ipsum abbatem visitatorem et collectorem nostrum usque ad annum currentem millesimum quadringentesimum quadragesimum inclusive quitamus, quitum et liberum tenemus et de servitiis et laboribus pro nobis et Ordine nostro hactenus assumptis eumdem recommendamus recognitionem centum florenorum renensium, in alio compoto generalis capituli anni millesimi quadrin-

[6]) Cfr. n. 2.

gentesimo xxxviii Lovanii celebrati facto [7]), eidem concessam, exceptis xl florenis in presenti compoto defalcatis, in suo robore conservando. Datum Binchii, in domo monasterii Bone Spei, sub sigillo nostri generalis capituli, anno quo supra quadringentesimo, die xia mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali ».

86

1442

a. Tum *ms. Nancy 994*, fol. 25 r°, tum *ms. Laon 538*, fol. 53 s., fragmentum habent Actorum huius Capituli generalis, celebrati in abbatia S. Foillani Rodiensis in Hannonia (Belgium meridionale). Utrumque ms. testatur se hoc fragmentum hausisse ex archivo abbatiae S. Martini Laudunensis. En, tenor huius fragmenti :

« Iohannes [1]), permissione divina Praemonstrati Abbas, et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, omnibus et singulis nostri Ordinis Praelatis et Canonicis ubilibet constitutis, ad quem seu ad quos nostrae praesentes litterae pervenerint exequendae, salutem et his mandatis nostris efficaciter obedire. Cum iuxta Ordinis nostri privilegia et Statuta Praelati ipsius Ordinis, qui tallias Ecclesiis suis impositas in Generali Capitulo nostro, vel saltem in festo Nativitatis Dominica immediate sequenti non solverint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Et Abbas Lisquensis [2]) tallias integras Ecclesiae suae a longo tempore per Ordinem impositas, quarum resta ascendit ad summam 44or francorum cum dimidio, vel circiter, non solverit vel solvere non curaverit ; hinc est quod Vobis et vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae firmiter et districte praecipientes mandamus, quoties scilicet, et cum per latorem praesentium fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus, dictum monasterium Lisquense accedentes, Abbatem dicti loci, nisi Vene-

[7]) De hoc Capitulo supra, nr. 84, actum est. Vide pp. 110-113.

[1]) Cfr. de isto abbate generali, supra ad nr. 83, n. 1, p. 108.

[2]) Abbatia Liskensis, seu Licques, prius dioecesis Tarvanensis (Thérouanne), postea Boloniensis (Boulogne-sur-Mer) in Gallia septentrionali, prope civitatem Ardres, suppressa est a. 1790. Nicolaus quidam abbas erat aa. 1423-1447. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. II, pp. 413-417.

rabili fratri nostro Abbati S. Martini Laudunensis [3]) de dicta summa 44 francorum cum dimidio pro dictarum talliarum resta infra festum Incarnationis Dominicae satisfecerit, sententiam excommunicationis incurrisse palam et publice declaretis, seu alter vestrum declaret, et a suo Conventu ut excommunicatum, ipsum evitari praecipimus. Cuius excommunicationis absolutionem, et contemptus remissionem certis de causis rationabilibus praenominato venerabili fratri nostro Abbati S. Martini Laudunensis committimus per praesentes. Et quod inde feceritis, sive alter vestrum fecerit, nobis Abbati Praemonstratensi per eumdem latorem fideliter per litteras vestras nobis intimare curetis. Datum in monasterio Sancti Foillani, sub sigillo nostri Generalis Capituli, anno Domini 1442. Die XI mensis Octobris, sedente ibidem propter guerras Francorum, nostro Capitulo Generali. Io. de Pratis ». (sigillum in cera viridi).

b. *Formularium Praemonstratense*. II (ed. J. EVERS, l. c., pp. 257-260), refert epistolam abbatis S. Michaelis, diei 19 Novembris 1442, in qua citatur decretum Capituli generali anni 1442. In epistola illa et decreto isto agitur de adiutorio praestando Collegio Praemonstratensi in urbe Parisiensi. Et est huius tenoris :

« Universis et singulis harum serium inspecturis, Olondus [4]), Dei patientia humilis abbas Sancti Michaelis Antwerpiensis, Ordinis Praemonstratensis, Cameracensis diocesis, salutem et presentibus fidem adhibere indubitatam. Notum facimus, quod anno Domini M°cccc°, xix die mensis Novembris, vidimus litteras reverendorum in Christo patrum Premonstratensis et capituli generalis abbatum, sanas ac integras ac in nulla parte suspectas, magno sigillo ipsius capituli roboratas, continentes sub hac verborum forma :

1442, Oct. 10.

Johannes, permissione divina Premonstratensis abbas, et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, venerabilibus nobis in

[3]) Abbatia S. Martini Laudunensis sita erat ad moenia civitatis cuius nomen gerit. Anno de quo hic agiter abbas S. Martini erat Balduinus de Braine. Cfr. N. BACKMUND, II, l. c., pp. 509-513.

[4]) Abbatia S. Michaelis Antverpiensis sita erat in civitate cuius nomen gerit. Anno 1796 suppressa est. Inde ab ultimo bello, nihil amplius de ruinis superest. Anno 1442, abbas erat Olondus Terlinck. Cfr. N. BACKMUND, l. c., II, pp. 265-269.

Christo fratribus omnibus et singulis abbatibus et prepositis aliisque beneficiatis et officiatis nostri Premonstratensis Ordinis per circarias et parte ubilibet constitutis, ad quos presentium baiulus pervenerit, salutem et in omnium Salvatore sinceram dilectionem. Cum alme Universitatis Parisiensis salubribus et honestis exhortationibus iam plurimum fuerimus requisiti, quatinus unicum collegium nostrum illic reparari faceremus in quo librariam et studiosos filios in diversis facultatibus studentes, sicut antiquitus visum est, ordinaremus ad sacrosancte fidei robur et exaltationem nostreque religionis illustrationem, decus et honorem, huius prefate almae Universitatis sacra congregatio suis caritativis epistolis animos nostros admonuit et expergefecit, quarum tenor infra has inseritur hoc modo :

Copia missive Universitatis Parisiensis.

1440, Sept. 19.

Dum sacri vestri Ordinis excellentiam celebrium patrum tantis stipatam solertiis intuemur, reverendissime pater, miramur, et non immerito, abiectum unici collegii vestri in nostra Universitate fundati miserandum statum ; eius nempe dum conspicimus desolationem, magnam partem edium collapsam, eius alteram, licet novis reparationibus salvis, proximam mirari ruinam, unde dolemus, nullam ibi librariam recepisse, paucosque nunc ymmo nullos studii incolas ibidem residere. Si collegium hoc fructus allaturum perutiles ad particulare monasterium pertineret, credimus quod nedum mediocri, sed etiam perfecta dudum compositione consisteret. Cum autem ad tantum spectet Ordinem, unicum collegium celebre quondam et egregium, quid dicemus, an tempora increpabimus quibus singularia monasteria sua collegia ex integro servavere Parisius an gravitatem et onus conservandi collegium numquam ex Ordine tanto parum fuisset si suum quodque membrum huic tanto bono conservando operam dedisset ? Ut quid scolas in ipso collegio permisimus ? Ut quid tandem membrum nostrum esse et dignitate ac privilegio nobiscum gaudere admisimus, si non alios exinde fructus percipere sperassemus ? Intuebamur olim Ordinem vestrum esse et dignitate ac privilegio nobiscum gaudere admisimus. si non alios exinde fructus percipere sperassemus ? Intuebamur olim Ordinem vestrum, divina pariter et humana scientiarum luce fulgentem, oves Christi fideliter perlustrare ; videbamus ante presentia tempora in sacris generalibus

conciliis, in nostris etiam congregationibus habebamus ex sacro vestro Ordine solemnes et spectatos doctores ex illo collegio salubriter enutritos, modo vero quot et quantos inveniamus diiudicetis. Ceteri Ordines ad sacrosancte fidei robur et exaltationem suarum regionum illustrationem, decus et honorem atque defensionem indivinis et humanis scientiis suos faciunt educari ; vos nec unicum collegium vestrum debito statu conservabitis (sic). O temporis nequam conditionem que parva caripendit, maiora negligit, dum parvis rebus opera datur curandis, summa et honestissima negliguntur ! In hoc tamen deflendo statu collegii vestri decus et solamen offert non modica, quod in eo habetis religiosum patrem in decretis doctorem egregium [5]), vita moribus et conversatione honestis apud nos comprobatum, qui scolasticis vacat actibus, assiduis laboribus et diligentiis spectabilis, qui presto est vobis iuvantibus atque iubentibus restaurationi eiusdem collegii intendre fructiferi. Et iam eius operosa agente providentia reparationes perutiles inchoantur, edificati sunt parietes collaterales in ambitu domus ; aulam et scolas doctorales dudum lapsas erexit atque scolarium cameras venturorum futurorum prius maximam ruinam minantes pariter reformavit. Itaque ad Dei laudem et gloriam Ordinis vestri decus pariter et incrementa paternitatem vestram instanter exoratam haberi petimus totumque capitulum vestrum, quatenus structuras et reparationes, librariam atque populationem collegii vestri per vos, per patres Ordinis, per totum ipsum Ordinem incepta continuando reficere, ordinare et instaurare celeriter faciatis per alumpnum vestrum abbatem memoratum [6]) vestris reverentiis, uti credimus, bene notum ; cuius solerti et diligenti administratione iam dictum ruens collegium honore adhuc ac vigore quodam perseverat, ipsumque venerabilem patrem et doctorem necnon priorem eiusdem collegii, qui dum parietes adaptabantur huc applicuit suis in agendis, habeatis favorabiliter recommissos, nobis quid super hiis concluseritis, per vestram si placuerit epistolam remittentes. Eandem reverendam paternitatem vestram ac celebre capitulum vestrum conservare dignetur ecclesie sancte totique Ordini vestro summa Dei Patris sapientia. Iheses Christus, feliciter. Datum Parisius, in nostra generali congregatione

[5]) Doctor iste egregius est Iohannes Touppet, abbas Gaudii Vallis. Cfr. n. 2, p. 114.

[6]) *Ib.*

apud Sanctum Mathurinum celebrata, die xixa mensis Septembris, anno Domini M°cccc°xl°.

(Finis epistola supradicte).

Hiis et tamen exhortationibus operam dare cupientes, prout tantorum virorum testimoniis claruit, venerabilis frater noster Iohannes, decretorum doctor, abbas Gaudiivallis [7]), nuper illic suis diligentia et laboribus perutiles reparationes inchoavit, summe ducentorum florenorum pro huiusmodi exponendo ; pro cuius ulteriori prosecutione et prefati loci reparatione adhuc pluribus pecuniis egemus, quas pro tanti Ordinis nostri arduis et necessariis negotiis, tam temporibus elapsis quam cotidie ingruentibus, reperire nequimus. Ne tamen tanta rei immemores videamur et negligentes, fraternitates vestras pie duximus exhortandas, quatenus oculos pietatis huic reedificationi erigere manus adiutrices ad inceptum opus porrigere, scolaresque virtuosos et studiosos illic dirigere, qui religiose sub uno pastore, iuxta predecessorum nostrorum ordinationes, in honesto loco recipi et simul morari valeant, quilibet iuxta suam facultatem dare et mittere velitis et dignemini, necnon per manus fratris Sigeri prioris Sancti Augustini, quem ad colligendum et reportandum vestra gratuita dona nostrum nuntium et receptorem specialem constituimus et ordinamus, brevius quo poteritis Parisius remittetis quidquid tanto operi misericorditer erogare potueritis. In quorum premissorum omnium et singulorum testimonium sigillum nostri generalis capituli presentibus duximus apponendum. Datum in monasterio Sancti Foillani prope Rodium anno Domini M°cccc°xlii°, undecima die mensis octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali. Sic signatas : I. de Pratis.

Et ut hec rata et grata apud vestras paternitates habeantur, presentes litteras sub signo manuali notarii publici, qui collationem fecit diligenter, propter carentiam sigilli nostri duximus roborandas, anno, die, mense quibus supra.

Collatio facta est per me Gerardum Walteri de Duez, notarium publicum, et concordat cum originali.

Gerardus Walteri de Duez ».

c. Refert *Formularium* dictum, p. 265 s. decretum capitulare,

[7]) Iohannes Touppet, cfr. supra, n. 2, p. 114.

vi cuius monasterium Ordinis recenter erecti a Capitulo generale confirmatur.

« Universis et singulis Christifidelibus presentes litteras visuris simul et audituris Iohannes, permissione divina, etc. et abbatum eiusdem Ordinis, etc. salutem in Domino sempiternam. Etsi quorumcumque monasteriorum nostri Ordinis per orbem constitutorum salubrem progressum bonumque honestum et incrementum utile totis precordialibus affectemus atque pro posse nostro ad id peragere et cooperari simus inclinati, precipue tamen ex caritatis zelo fortius obligamur, et verbo et opere exequi intendimus ea que pro salubri statu felicique augmento et digna quorumdam monasteriorum nobis abbati Premonstratensi specialiter recommissorum ampliatione et conservatione utilia facere ac necessaria consideramus. Sane per venerabilis fratris nostri Iohannis, decretorum doctoris, abbatis Gaudii Vallis [8]), nostri Premonstratensis Ordinis, nuper in Germanie partibus commissarii nostri, relationem veridicam didicimus, quomodo venerabilis etc. frater noster Petrus [9]), in dicta facultate decretorum doctor eximius, prior famose Brandeburgensis ecclesie in Saxonia, ad laudem Dei et beate Marie Genitricis sue atque honorem et exaltationem etiam incrementum nostri Ordinis novum monasterium in monte et devota capella Harlungotum [10]), prope veterem civitatem Brandeburgensem erexerit, fratresque de ecclesia sua adipsum locum transferendo, bonis et annuis redditibus dotaverit, que quidem litteras et munimenta valida prenominati reverendi patris desuper confecta, prout expetebat, optinuerit ; que quidem omnia et singula laude et commendatione digna etiam in eisdem litteris contenta esse intelleximus et merito approbanda. Quapropter bonum et laudabile propositum eorumdem ut speramus felici principio inchoatum, quantum in nobis est, stabilire ac validare cupientes, ad instantes preces eorumdem prepositi, prioris et conventus, huiusmodi institutionem, translationem, dotationem, litterasque de-

[8]) Abbas Gaudii Vallis est Iohannes Touppet. Vide n. 2, p. 114.

[9]) Agitur de Petro Klyske, preposito Brandenburgensi. Cfr. A. L. GABRIEL, *Les prémontrés dans les universités médiévales*, in *Anal. Praem.*, XXXVI, 1960, pp. 11-13.

[10]) Harlungotum seu Harlunderberg, ubi centrum vestustum cultus pagani conversum fuit in capellam B. Mariae Virgini dicatam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, p. 222 s. — C. L. HUGO, in *Annalibus suis, bis tractat de hoc monasterio*. In t. I,, col. 799, sub nomine « Harlingot » ; in t. II, col. 197, sub nomine: « Sancta Maria in Monte Harlungo ».

super confectas ac omnia et singula per ipsos in premissis facta et gesta in Dei nomine ratificamus, approbamus et confirmamus in hiis scriptis, volentes et auctoritate nostra presentium statuentes quod dictum monasterium et fratres inibi degentes nunc et in posterum gaudere possint et debeant omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, prerogativis, honoribus et francisiis quibus ipse Ordo noster Premonstratensis etiam in circaria Saxonie gaudet et utitur, potissime quod illud monasterium quoad obedientiam manualem nobis abbati Premonstrati debito, et consueto more Ordinis prestandam, atque contributiones seu collectas annuales, iuxta antiqua compactata per prelatos dicte circarie solvendas, sub ecclesia Brandeburgensi comprehendi debeat, nec ultra ad alienas obedientiam vel contributiones cogi vel compelli ; volentes insuper et districte precipiendo mandantes ne quisquam prelatus aut frater Ordinis nostri, cuiuscumque status, gradus aut conditionis existat, huiusmodi institutionem, dotationem, ordinationem, dispositionem prepositi et capituli antedictorum et nostram presentem confirmationem infringere, diminuere, aut bona dicto novo monasterio data vel danda distrahere aut alienare audeat quoquo modo. Si quis autem hoc attemptare presumpserit penas, quas pro gravissimis culpis in Ordine nostro infligi consueverunt, incurrat ipso facto, alia nichilominus castigatione, nisi resipuerit, viriliter puniendus. In quorum fidem, robur et testimonium omnium et singulorum premissorum presentes nostras confirmatorias litteras nostri generalis capituli munimine roborandas. Datum in monasterio Sancti Foillani, anno Domini M°cccc°xlii° die decima mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali ».

87

1443

Formularium Praemonstratense. II. (Ed. J. EVERS, l. c. p. 280 s.), duas refert epistolas a Capitulo generali, celebrato in Sto Quintino (St-Quentin), in Viromandia, Gallia septentrionali, non longe a Prémontré.

a. Prima illa epistola agit de monitione et excommunicatione ac suspensione a divinis. Hoc modo :

« Iohannes, permissione divina Premonstratensis abbas [1]), et abbatum eiusdem Ordinis capitulum generale, universis et singulis prelatis, prioribus et canonicis, tam curatis quam non curatis, Premonstratensis Ordinis, notariis et tabellionibus publicis ad quem seu quos presentes pervenerint exequenda, salutem in Domino fidemque credulam et celerem executionem presentibus adhibere. Grandem querelam venerabilis fratris nostri Iohannis, decretorum doctoris, abbatis ecclesie Gaudii Vallis [2]), nostri Premonstratensis Ordinis, Carnotendis diocesis, nuper audivimus in effectu nobis exponentis, quod, cum inter venerabilem patrem bone memorie dominum Iacobum [3]), eius antecessorem, ex una, religiosumque fratrem Thomam de Vezel, canonicum professum et presbiterum eiusdem monasterii Gaudii vallis, partibus ex altera, ultra quadriennium super nonnullis, causa nutriende pacis et honestatis nostri Ordinis hic non expressis, gravis et scandalosa contentio etiam iniuriosa exorta fuisset, idem dominus Iacobus, olim abbas, voluntate turbata et animo passionato, absque sui conventus requisitione et sine nostra vel aliorum superiorum Ordinis licentia et auctoritate, pauca vel nulla deliberatione prehabita, ipsum fratrem Thomam professum et presbiterum, etiam provisorem exteriorum dicti sui monasterii Gaudii Vallis, licentiavit, nec non exeundi et tenendi officia, beneficia quoque regendi, generalem concessit licentiam atque, quantum in eo fuit, ab eius successorumque suorum obedientia de facto absolvit litteras tales quales desuper concedendo. Unde idem frater Thomas, hac licentia et auctoritate fretus sue confessionis et stabilitatis locum insignem derelinquens, aliud monasterium ingrediens, etiam beneficium accipiens regendum, mandatis, ordinationibus et monitis moderni abbatis in hac parte querulantis obedire recusat contumaciter in anime sue periculum, votum obedientie et stabilitatis in loco transgrediendo atque rotam rebellionis et inobedientie multipliciter movendo. Nos igitur premissa et alia mature attendentes, quum secundum iuris dispositionem regularesque observantias nostri Ordinis locorum mutationes et personarum alienationes non sunt tam leviter faciende, cum voto et regule et statutis nostris dinoscuntur contrarie, eaprop-

[1]) Cfr. de isto abbate generali, supra, n. 1, p. 108.

[2]) Iohannes iste est abbas Touppet. Cfr. n. 2, p. 114.

[3]) Abbas Iacobus iste vocabatur: Iacobus Elias de Louviers, qui decessit anno 1432. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. II, p. 556.

ter vobis omnibus predesignatis et cuilibet vestrum nobis subditis in virtute sancte obedientie et sub penis suspensionis et excommunicationis, quam vel quas in vos et quemlibet vestrum feremus, nisi feceritis quod mandamus, vos notarios et tabelliones non subditos requirimus et rogamus, quatenus ad huiusmodi mandatum nostrum exequendum alter vestrum alium non expectet, nec unus per alium se excuset, ex parte nostra moneatis attente dictum fratrem Thomam de Vezel, subditum et iustifiabilem nostrum, quem etiam tenore presentium auctoritate nostra monemus et instanter requirimus ut ipse infra decem dies immediate sequentes, quorum decem dierum tres pro primo, tres pro secundo et reliquos quatuor pro tertio et peremptorio termino post huiusmodi monitionem sibi factam sub penis suspensionis et excommunicationis quas ipso facto, nisi premissa et infrascripta compleverit, dicto lapso decem dierum termino volumus et decernimus eumdem fratrem Thomam in hiis scriptis incurrisse ac incurrere, ad presentiam supradicti moderni abbatis Gaudii Vallis [4]), proprii prelati sui, personaliter accedat et obedientiam sibi prestet debitam necnon suum canonicatum, aut aliud nostri Ordinis sibi gratum, inhabitet monasterium ut tenetur, forenses vagationes, professis nostris inhibitas, evitando et alias se obedienter gerendo. Alioquin, si in premissis defecerit et obedire respuerit contumaciter, in hiis scriptis suspendimus a divinis, et si huiusmodi suspensionem in se per octo dies animo in se sustinuerit indurato — quod absit ! — ipsum in eisdem scriptis excommunicamus, suspendimus et excommunicatum per vos aut alterum vestrum publice nuntietis et nuntiari procuretis, presentes etiam, si opus fuerit, valvis ecclesiarum ceterisque locis publicis affigendo ; a denuntiatione huiusmodi non cessantes donec idem frater Thomas post condignam obedientiam et satisfactionem sue absolutionis beneficium a nobis vel proprio prelato sepedicto meruerit obtinere, nisi causam coram nobis allegare voluerit efficacem quare huiusmodi mandatis et monitionibus nostris minime teneatur obedire, ad quam allegandam, discutiendam et terminandam citatis ipsum peremptorie et personaliter, necnon venerabilem abbatem Albe Curie [5]), nostri Ordinis, eiusdem fautorem et defensorem, et alios quoscumque nostri

[4]) Abbas iste est Iohannes Touppet. Vide n. 2, p. 114.

[5]) Abbatia Albae Curiae (Abbecourt) sita erat in dioecesi Carnutensi = Chartres, nunc Versaliensi; suppressa anno 1790. Anno 1443, abbas erat Iohannes Brunel (abbas aa. 1437-1460). Cfr. N. BACKMUND, l. c., t. II, pp. 541-543.

Ordinis sua interesse putantes pariter ad instans capitulum generale nostri Ordinis hac in villa et domo Premonstratensi primo die suo tempore celebrandum, super hiis omnibus et singulis audituros et recepturos iustitie complementum ; certificantes eosdem quod, sive venerint sive non, nos nichilominus procedemus contra eosdem et desuper ordinabimus prout ius et ratio suadebunt. Et quidquid per debitam feceritis executionem nobis referre aut rescribere nullatenus omittatis. Datum sub sigillo nostri generalis capituli apud Sanctum Quintinum in Viromandia sub anno Domini M°cccc°xliii°, die undecima mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali ».

b. L. c., p. 282 s. refertur altera epistola, ab eodem Capitulo generali emanata, in qua agitur de aggravatione quorumdam religiosorum excommunicatorum.

« Iohannes, permissione divina premonstratensis abbas [6]), et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale, venerabili in Christo fratri abbati monasterii Sancti Mychaelis Antwerpiensis [7]), nostri Premonstratensis Ordinis, Cameracensis diocesis, salutem in Domino et studiosam in commissis diligentiam adhibere. Cum itaque frater Iohannes de Zuylre, Arnoldus de Lummen, Petrus de Venloe et Hermannus de Ruremunda, monasterii Averbodiensis canonici [8]) excommunicationis sententias a nobis auctoritate nostra in nostro generali capitulo anni preteriti, pro contumatia, rebellione, inobedientia et offensa manifesta per ipsos et quemlibet eorumdem factis et Ordini nostro prestitis, monitionibus et mandatis nostris sepedictis quibus minime obedire curaverunt, in ipsis et quemlibet ipsorum latas, iamdiu corde et animo induratis sustinuerunt, et adhuc de die in diem sustinere non formidant, ad emendationem quoque venire contempnant, claves et mandata sancte matris Ecclesie et

[6]) Cfr. n. 1, p. 108.

[7]) Abbas S. Michaelis Antverpiensis tunc erat Olandus Terlinck. Cfr. n. 4, p. 118.

[8]) Eo tempore abbas Averbodiensis erat Iohannes Balduini (abbas aa. 1441-1458). Eius electio non ab omnibus religiosis abbatiae ut recta iudicabatur. Ideo, sub ductu Iohannis à Zuylre (a Zolder), quondam prioris, nova electio a quibusdam facta est, et ab his electus fuit in abbatem Petrum van Lom, seu de Venlo. Discessio ista per plures annos duravit. Ii qui abbati Balduini obedire nolebant in praesenti decreto Capituli generali reprobantur et excommunicantur. Cfr. (L. Blomme), *De Norbertijner abdij van Averbode*, Averbodii, 1920, pp. 100-106.

suorum in hac parte superiorum vilipendant, et aliis multis modis irregulariter se gerendo ; cumque crescente eorum malitia crescere debet et pena, dignumque sit ut quos timor Dei a malo non revocat, saltem eos coherceat ecclesiastice pene severitas : hinc est quod vobis abbati supradicto in virtute sancte obedientie districte precipimus quatenus prefatos fratres Iohannem de Zuylre, Arnoldum de Lummen, Petrum de Venloe et Hermannum de Ruremunda, dicti monasterii Averbodiensis religiosos, pro contemptu, inobedientia, contumacia et offensa manifesta predictis demeritis in hiis scriptis aggravamus. Et si huiusmodi aggravationum animo — quod absit ! — per quadraginta dies sustinuerit vel sustinuerint aliquis vel aliqui eorum indurato, extunc hiis elapsis diebus supranominatos religiosos excommunicatos et aggravatos in hiis scriptis reaggravamus et excommunicatos aggravatos et reaggrevatos auctoritate nostra singulis diebus, dominicis, festivis et non festivis, in capitulis et monasteriis nostri Ordinis vel aliis locis publicis, candelis accensis et ad terram proiectis, campanis pulsatis in missa vel vesperis totiens quoties dominica celebrare contigerit, palam et publice nuntietis, familiares nuntios, servitores si quos habeant et omnes cum ipsis scienter participantes subditos nostros interdicto supponendo ; inhibendo ex parte nostra omnibus et singulis nobis subditis et propinquioribus, vicinis et consociis suis a latore presentium nominandis, ne quis ipsorum nobis subditorum sub excommunicationis et aliis penis Ordinis cum dictis sive excommunicatis aggravatis et reaggravatis fratribus sepe nominatis, ut premittitur, aliquali cibo potu aut aliis quibuscumque ad vitam hominis necessariis et opportunis ministrando et tradendo aut alio quovis modo participare presumant, nisi dumtaxat a iure permissis, a denuntiatione huiusmodi non cessantes donec a nobis aut a domino nostro Premonstratensi absolutionis sue beneficium meruerint obtinere ; mandatum huiusmodi nostrum ad personas fratrum sepedictorum, si eos commode apprehendere non potueritis in valvis ecclesiarum nostri Ordinis, etiam aliunde, si vobis videatur expedire, exequamini diligenter ; ipsos sic excommunicatos aggravatos et reaggravatos pro punitione et correctione amplioribus recipiendis nobis aut proprio abbati remittendos, brachium seculare in subsidium nostre iurisdictionis quoad premissa et alia condependentia, si necesse fuerit, invocando. In quorum premissorum fidem, robur et testimonium sigillum nostri generalis capituli presentibus litteris duximus appendendum. Datum apud Sanctum Quintinum in Viromandia sub anno Domini millesimo

cccc° xliii°, die undecima mensis Octobris, sedente ibidem propter Francorum guerras nostro capitulo generali ».

88

1445

In ms. VII, 37 archivi abbatiae Parcensis asservatur manuscriptum, in quo continentur ea quae J. J. EVERS edidit in *Anal. Praem.*, VIIII, 1938, sub titulo : *Formularium Praemonstratense*. II. In eodem manuscripto, legitur appendix II (cfr. J. J. EVERS, l. c., pp. IX-XVI) in qua « varia » inveniuntur de historia Ordinis. Et quidem, p. 73, legitur epistola, in qua Iohannes, abbas Praemonstrati, et capitulum generale Ordinis rogant ut Ordo integer subsidia praestare dignetur ad hoc ut abbatia Praemonstrata diruta reaedificari possit.

« Iohannes [1]), permissione divina Praemonstratensis abbas, et abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, venerabilibus nobis in Christo patribus omnibus et singulis abbatibus et praepositis, necnon dilectis filiis nostris in Christo prioribus et ecclesiarum rectoribus etiam officiatis nostri Praemonstratensis Ordinis ubilibet constitutis, salutem in Domino et per opera pietatis gaudia consequi aeternae foelicitatis. Cum pia mater filios a tenera iuventute delicatis fovet alimentis, et illa senescens ingruente pauperiei morbo ad tantae vitae calamitosae pervenerit tenuitatem, ut quasi panem cibarium in pinguium filiorum, proh dolor ! vilipendium cogatur mendicare, filiorum condecet maternarum compati calamitatum. Sane quia Praemonstratensis ecclesia, caput omnium nostri Ordinis ecclesiarum, illas tamquam pia mater a puerilibus annis epulis spiritualibus et dulcibus fomentis splendide pavit, tamquam fons vivus limpidos scaturiens rivulos ex visceribus suis nullam patientis siccitatem ; sed profecto guerrarum stridoribus ante tempora praesentia eandem ecclesiam circumstantium undique prementibus, plus quam noster calamus exprimere nequit ; curtes et grangia illius, colonis ipsorum fugatis, et exteras nationes petentibus, ad fovillarum reliquias redacta sunt, agri illarum, quondam fertiles, nullo vomere illos impugnante, suam viduam sterilitatem conquerunt incurrisse, prata rubo-

[1]) Vide infra, ad nr. 89 (1446), n. 1, p. 130.

rum et veprium sunt opacata densitate, vino quondam botros uberes germinantes nunc sub sentibus et urticis pululantibus cubantes, torcularia sua vino suo reddunt otiosa. Quid eloquimur ? Nulla praeda, nullave predonum — proh dolor ! — indomitorum cohors praetermissa est quam non illi sustinere nisi a tempore treugarum per reges et principes Franciae nuper indictarum, adeo quod inde etiam humana corda minime possent non compati et emolliri, quibus ad praesens treugis vigentibus, eaedem guerrae et praedae solitae cessarunt et prudesignatae domus inhabitari ; terrae ac vineae excoli coeperunt. Unde quia memorato in capitali loco Praemonstratensis, a quo alia nostra loco derivata esse noscuntur, plura sunt domicilia quibus opus est sumptuosa et necessaria reparatio ad abbates, praepositos et concanonicos nostri Ordinis universi futuris in generalibus Capitulis, Deo duce, de proximo et exinde ibidem celebrandis, decenter et honeste locandos, cum suis familia et equis ; hinc est quod vestrum omnium et singulorum sinceras affectiones in Christo visceribus hortamur et deposcimus enixe, quatenus, inopiae vestrae matricis ecclesiae Praemonstratensis filialiter compatientes, de bonis vestris ecclesiae Praemonstratensis filialiter compatientes, de bonis vestris temporalibus ipsi matri aegrotanti tamquam pii et misericordes filii secundum bonorum vestrorum exigentiam temporalium largifluas et munificas velitis elargiri manus, et ea in quibus iuxta vestrae liberalis beneplacitum voluntatis contigerit sibi gratiose ac largiter subvenire, velitis dilectis nostris in Christo filiis Iohanni de Hannonia Symoni de Perona et Egidio Buridani, praedictae matricis ecclesiae canonicis, aut alteri eorum praesentium exhibitori, quem vel quos ad huiusmodi levanda pariter et recipienda oneramus et constituimus per praesentes, exhibere, de quorum legalitate ac morum probitate nos et ipsi Praemonstratenses confidimus ad plenum, credentiam plenariam ac fidem in praemissis omnibus et aliis eadem concernentibus per ipsum nuntium nostrum declarandis fiducialiter adhibendam, tantum inde facientes, quod has preces nostras percipiamus saepedictae ecclesiae Praemonstratensis esse fructuosas et ad multifaria obligemur rependia gratiarum. In cuius testimonium sigillum nostri Generalis Capituli una cum sigillis nostrum abbatis et conventus et praemissorum omnium duximus presentibus litteris appendendum. Datum apud Sanctum Martinum in Lauduno, anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto, die undecima mensis Octobris, sedente ibidem pro securitate maiori nostro Capitulo Generali ».

89

1446

1. Tum in *Nancy, ms. 994*, fol. 25 v° - 26 r°, tum in *ms. Laon 538*, fol. 54 r° - 54 v°, refertur fragmentum ex Actis Capituli Generalis, anno 1446 celebrati. Fragmentum illud haustum dicitur ex archivo abbatiae Sancti Martini Laudunensis. Et sic sese habet :

« Iohannes, permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, Venerabili nobis in Christo fratri Abbati et toti Conventui monasterii sancti Martini Laudunensis nostri Praemonstratensis Ordinis [2]), salutem in Domino, et per temporalia festa ad gaudia pervenire aeterna. Cum a nobis exigitur quod salubre existit et honestum, tam vigor aequitatis, quam dictamen postulat rationis, ut id per authorizationem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter Venerabilis fratris nostri et dilecti in Christo filii, vestris supplicationibus salutiferis ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei qui in Sanctis suis glorificatur, benigne annuentes, et ob reverentiam et honorem decem sanctorum corporum vestro in monasterio seu Ecclesia sancti Martini, quorum festivitas atque solemnitas mensis Iunii die sexta consuevit celebrari, eadem die annuatim festi more in perpetuum solemnizare et hystoriam quae decantatur in festo Reliquiarum in Ecclesiae Sanctae Mariae Laudunensis pariformiter decantare. Vobis authoritate praesentium indulgemus, et ad ea quae dicta sunt, sufficienter authorizamus, Statutis Ordinis nostri in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. In cuius testimonium sigillum nostri Generalis Capituli praesentibus litteris duximus apponendum. Datum apud Sanctum Quintinum in Viromandia, Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, die undecima mensis Octobris, sedente ibidem nostro Capitulo Generali. I. De Pratis.

Sigillum in cera viridi ».

[1]) Quisnam sit iste Iohannes, abbas Praemonstrati anno 1446, dici nequit. Nisi admittatur fragmentum istud provenire ex Capitulo genrali non anni 1446, sed anni 1449. Anno 1446, abbas Praemonstrati erat Petrus Rodier. Anno 1449 regimen archicoenobii Praemonstrati assumpsit Iohannes Aguet. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, 529; C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, pp. 138-141.

[2]) Anno 1446, abbas S. Martini Laudunensis erat Balduinus de Braine, cui, durante a. 1446, successit Petrus Du Pont. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 512.

2. C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 519, de eodem Capitulo hoc notat :

« A Capitulo Generali renuntuatur Visitator (Ioannes Tardy, abbas S. Pauli Virdunensis = Verdun) [3]) Circariarum Lotharingiae, Vadegotiae et Franconiae anno 1446 ».

90

1451

1. Ch. TAIÉE, *Prémontré*. T. I, Parisiis, 1872, p. 139, haec narrat de Capitulo Generali celebrato in abbatia S. Foillani apud Rhodium (Rœulx, in Hannonia) :

« Il fut, dans le chapitre général célébré à St-Foillien (1451), décrété, sous la menace des peines canoniques, même de l'excommunication, et de la prison : 1° que nul ne posséderait aucun meuble ou immeuble, que quiconque en possédait les devrait remettre aux supérieurs pour être rendus à la communauté ; 2° que nul n'aurait de l'argent ou de pécule privé ; 3° que nul n'aurait quoi que ce soit en propre, fut-ce cahiers, tablettes, poinçons, etc., etc. ; les peines infligées à ces manquements devraient être d'abord : la privation de la sainte table, la prison jusqu'à satisfaction à la règle, et, en cas d'impénitence finale, la privation des prières de la communauté et l'enterrement au fumier. Une exception raisonnable devait être admise en faveur des officiers qui gèrent à l'extérieur les intérêts de l'Ordre. Tout abbé devrait faire et prescrire des fouilles fréquentes dans les cellules et interdire la possession de coffres et boîtes fermées. Pour supprimer tout prétexte à récrimination ou désobéissance, les abbés devraient pourvoir soigneusement à la vie, à l'habit, à la chaussure, et à tous les autres besoins de chacun ».

2. Et. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium Fasc. 5), Averbodii, 1964, p. 12, notat relate ad decisionem Capituli generalis

[3]) Iohannes Tardy abbas erat S. Pauli Virdunensis aa. 1444-1461. Ipsi successit abbas idem nomen gerens, et qui munus abbatiale exercuit aa. 1461-1466. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, p. 114.

de ratione qua votum paupertatis in Ordine observari deberet, p. 12, ista :

« La décision du chapitre général de 1451 enjoignant aux chanoines de l'ordre de restituer à leur couvent qu'ils en auraient détournés, interdisant au supérieur de distribuer à ses subordonnés tout pécule pour l'amélioration de leur pitance ou de leur vestiaire, prescrivant de fouiller leurs cellules, leur défendant de posséder des coffres fermés et menaçant de déchéance les abbés qui se montreraient tolérants dans ce domaine, prouve que dès le milieu du XV^e^ siècle la règle de la désappropriation n'était plus observée dans toute sa rigueur chez tous les fils de saint Norbert ».

3. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, decretum Capituli generalis, de quo in praesenti agitur, ita refert, l. c., pp. 946-948 :

« Eugenii IV. Diplomate ad Capitulum Generale Praedecessoris sui tempore transmisso, pro reformando Ordine male audiente, sollicitus, sequens generale pro hac re Decretum in Capitulo Generali Anno Domini 1451. edidit Iohannes.

Iohannes, permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et eiusdem Ordinis Abbates, in generali Capituli iamdicti Ordinis in Monasterio sancti Foillani iuxta Rodium legitime congregati, Omnibus et singulis Praelatis caeterisque utriusque sexus personis nostri Praemonstratensis Ordinis salutem in Domino et efficacem vitae ac morum Reformationem. Ex debito nostrae religionis (cui divina permissione in praesentiarum praesidemus) officio constringimur, ut ad rectam vivendi formam et ad viam salutis. universis nostrae Religionis ab observantia nostrae Religionis deviantes, etiam invitos exhortationibus, ac aliis modis quibus possumus reducamus. Hinc est quod nos pro reformationis debitae quodam salutari initio nostri Ordinis universi, nonnullaque in eodem reformanda et emendanda cognovimus corrigere et ad lineam rectitudinis reducere, mandatis, Statutis et Ordinationibus regularibus curavimus subnotari. In primis quidem quoniam inter omnia vitia personis regularibus summo studio cavenda, et tamquam pestis periculosissima fugienda, Proprietatis vitium principatum obtinere dignoscitur. Volumus, et in virtute

[1]) Iohannes iste est Iohannes Aguet, abbas aa. 1449-1458. — Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. II, p. 529; C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, pp. 138-141.

sanctae obedientiae et sub attestatione divini Iudicii, atque sub excommunicationis et incarcerationis aliisque iuris ac Ordinis nostri poenis praecipimus et mandamus omnibus et singulis nostri Ordinis praedicti utriusque sexus personis, quatenus Proprietates, et bona mobilia et immobilia, quis, et quae hactenus possederant, et ad usus privatos et proprios pro libito converterunt, contra iuris et Regulae sancti Augustini, quam professi sunt, dispositionem, infra sex dierum spatium a tempore insinuationis praesentium immediate sequentium, quem terminum eis et cuilibet ipsorum tempore medio pro monitione canonica praefigimus sub poenis praedictis absque dolo, fraude, bona fide et in conscientia non ficta, ad manus Abbatum seu Praelatorum ipsorum resignent, et effectualiter studeant praesentare. Quandoquidem secundum eandem Regulam et modum vivendi in communi absque quacumque proprietate, nullus ipsorum nec pro praesenti, aut umquam in futurum, proprium aut peculium habeat, possideat aut sibi appropriet bona quaecumque mobilia, aut immobilia ad ipsum iure haereditario, aut alias quomodocumque devoluta, aut devolvenda videlicet propinata, legata, empta, vel propria industria acquisita, sive quocumque titulo ad ipsum vel Monasterium pertinentia, cuiuscumque nominis, utilitatis aut necessitatis existant, sintque Abbati seu Praelato, et ipsis Conventibus communia. Neque praesumat de caetero, sicut nec de iure potest, cum aliquo Fratre seu Religioso, etiam cum seipso super habendo proprio, vel peculio dispensare. Quod si attentare praesumpserit, talis dispensatio ipso facto cassa sit, irrita et inanis. Et ut haec rerum Communitas verius absque proprietate quacumque observetur, praecipientes firmiter inhibemus, ne aliqua pecuniarum inter Fratres seu Religiosos fiat distributio in Monasterio, neque ipsarum ad usum alicui concedatur licentia, sive, pro vestibus aut aliis quibuscumque rebus comparandis et providendis, cum ipsa sanctae Regulae manifeste obviet, et a vitio proprietatis non videatur aliena fore. Neque aliquis Fratrum aut Religiosorum, de rebus ad usum proprium et privatum, utpote codicem, tabulam, graphium, sed nihil omnino quod Abbas, vel Praelatus, seu Vices-gerens non iuste concesserit, aut permiserit ; Quippe quibus nec propria corpora licet habere in propria potestate, et nihilominus recepta aut permissa ab Abbate, vel Praelato necessaria, nec dicantur, neque reputentur propria, sed sit semper in voluntate recipientis ea velle restituere, dummodo per ipsum Praelatum seu Abbatem fuerit requisitus, ne in proprietatis vitium incidat coram Deo. Habeat insuper Praelatus seu Abbas ple-

nam facultatem eadem auferendi pro libito, et alteri, cui forsitan magis necessaria fuerint, secundum dispositionem regulae concedendi. Quicumque vero contra praemissum modum pecunias vel alias res quantumcumque necessarias habere praesumpserit, si admonitus, Proprium non resignaverit, a communione altaris removeatur, et carceri quousque monitioni tali paruerit, mancipetur ; et si in extremis cum peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, nec oblatio altaris pro eo fiat, nec inter Fratres, sed in sterquilinio recipiat sepulturam. Permittimus tamen et concedimus, quod Officiales deputati seu deputandi, pecunias moderatas aut alias res ad eorum officia pertinentes, de licentia Praelatorum suorum apud se retineant, si et in quantum necessitas pro officiorum debita exequtione, res ipsas aut pecunias exigit et requirit. Ipse autem Praelatus huiusmodi pecuniarum distributionem, aut alias res Fratribus non necessarias, praecipue ubi et quando per ipsum et communes Officiales Monasterii eis providere potest, permittere aut concedere praesumpserit, ac istud vitium Proprietatis in se ac in suis subditis extirpare non curaverit, praeter alias poenas a iure statutas, Officii sui iacturam se noverit incursurum. Quapropter per se vel Priorem suum, frequenter, et ad minus semel vel bis in septimana, faciat scrutinium in cellis, et alibi propter peculium, vel ne occultetur opus peculiare singula perquirendo ; ad cuius scrutinii impedimentum tollendum, nullus Fratrum seu Religiosorum intus vel extra cellam, cistam, vel arcam habeat vel quicquam aliud seratum, nisi de licentia Abbatis seu Praelati, quae tamen absque rationabili vel manifesta causa nullatenus concedatur. Unde omnia quae ad usum Fratribus conceduntur, sic reponantur per Fratres, ut in scrutinio possint faciliter reperiri. Neque aliquis reponat aliquid animo occultandi, ne non solum Proprietatis, sed etiam furti criminis, secundum regulam, reus fiat. Quid si circa aliquem Fratrem repertum fuerit, quod ipse Praelatus non iuste concesserit aut permiserit, sed sibi nutu proprio appropriaverit, graviter puniatur, talisque res penitus ab eo auferatur. Ut autem Fratres omni solicitudine ad providenda sibi ipsis necessaria careant, hancque rerum propriarum ac peculiarium abdicationem gratius subire et supportare velint ; Quodque eis omnis murmurationis et proprietatis via et occasio praecludatur, districte praecipientes volumus et ordinamus quod Abbas seu Praelatus quicumque pro tempore fuerit, omnibus et singulis Fratribus absque personarum acceptione, secundum Regulam provideat de victu, vestitu, et calceamentis, caeterisque huic vitae necessariis competenter et

sufficienter, prout cuilibet necessarium fuerit, iuxta rerum communium Monasteriorum suppetentiam ac etiam facultatem, ut ipsi in iis notabilem penuriam nullatenus patiantur. Quod vero ad reliquam et praecipue generalem et plenarium totius Ordinis regularia in praesentiarum fore duximus recuperandam, districte praecipientes et mandantes, etiam sub praedictis poenis, quatenus unusquisque Praelatus, omnia et singula huiusmodi regularis statuta atque praesentes ordinationes, prohibitiones, et mandata, quae ad honorem Dei animarumque salutem pro initio reformationis personarum saepe dicti Ordinis utriusque sexus edidimus, promulgavimus, in se primum observare et practicare, ac deinde aliis observationem praecipere studeat et compellat ; Nec in se vel aliis, per quancumque occasionem vel negligentiam, transire patiatur in collapsum, sed omnia et singula exacte et cum debita diligentia exequatur. Pro hac sua laudabili sollicitudine et exequtione, gratiam in praesenti, et in futuro vitae aeternae praemia percepturus foeliciter. Si vero negligens, remissus, et inobediens (quod absit) repertus fuerit in executione sive observantia praemissorum, et frenum disciplinae per dissimulationem perniciosam sibi et suis subditis contra praemissa regularia statuta, ordinationes, prohibitiones, et mandata laxaverit, omnipotentis Dei indignationem et offensam ; et nihilominus postquam haec ad nostram vel deputatorum, per nos in hac reformationis materia pervenerint notitiam, gravem reprehensionem, et insuper dignitatis, atque Officii sui iacturam tamquam Ordinis praevaricator et contemptor sanctae regulae (quod merito formidare poterit) faciet : Volumus praeterea et decernimus, quod harum litterarum nostrarum copiis, manu alicuius Notarii publici, sub duarum personarum fide dignarum testimoniis signatis et collationatis, sicut ipsis originalibus stetur ; et plenaria adhibeatur fides ubicumque fuerint publicatae et ostensae. Datum in Monasterio D. Foillani iuxta Rodium sub sigillo nostri Generalis Capituli. Anno Domini 1451, mensis Novembris dite decima sexta ».

91

1452

1. De Capitulo Generali, celebrato in urbe S. Quintini (Saint-Quentin), tum *ms. Laon 538*, fol. 54 v°, tum *ms. Nancy 994*,

fol. 26 r° - 26 v°, fragmentum decreti referunt ; et quidem idem fragmentum ab utroque manuscripto refertur. Quod fragmentum ita se habet :

« Iohannes, permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, Venerabili nobis in Christo fratri Petro, Sancti Martini Laudunensis monasterii nostri Ordinis Abbati [2]), in Iure Canonico Baccalaureo, dilectisque nobis in Christo filiis Priori, Suppriori, totique eiusdem Ecclesiae Conventui salutem in Domino, et per temporalia festa ad gaudia pervenire aeterna. Ad ea libenter intendimus per quam Sanctorum decus procuretur, ipsorumque meritis et intercessionibus nostro Ordini et monasteriis ipsius succurratur. Cum itaque sicut accepimus in monasterio Sancti Martini praedicto, decem Sanctorum corpora requiescunt, quorum meritis et auxiliis nostram Religionem suis in adversis afflictam saepius succursum recepisse firmiter credimus, dignum fore censuimus, ut qui temporalibus recognoscere obsequii, ut de eis memoriam agentes apud Deum, continui sint nostri Ordinis preces offerentes. Statuimus et ordinamus, pariter et decernimus, quod singulis diebus ferialibus, in matutinis et vesperis, nisi festum solemne concurrerit, in memoriam eorumdem Sanctorum decantetur una Antiphona de dictis sanctis, cum Collecta ad hoc necessaria et consueta, semel in hebdomada maior Missa dicti Monasterii ad laudem et gloriam dictorum Sanctorum celebretur et decantetur. Statutis Ordinis nostri in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum apud sanctum Quintinum in Viromandia sub sigillo nostri Generalis Capituli, die undecima mensis Octobris anno Domini 1452. Sedente ibidem nostro Capitulo Generali. de Templon. — Sigillum in cera viridi ».

2. C. L. Hugo, *Annales*, t. I, col. 835, scribit : « A Capitulo Generali anni 1452, obtinuit (Iohannes de Braiketen, abbas Hinsbergae) [3]), licentiam Presbyteros seculares admittendi in Ordinem, et professione facta, deducendi ad regimen Parochiarum Hinsbergae incorporatarum ».

[1]) Iohannes iste est Iohannes Aguet. Cfr. n. 1, p. 132.

[2]) Agitur de abbate Petro du Pont, qui fuit abbas aa. 1447-1461. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. II, p. 512.

[3]) N. Backmund, *Monasticon*, t. I, seriem Praepositorum ac Abbatum Heinsbergensium non habet. Habetur vero apud C. L. Hugo, *Annales*, t. I, coll. 533, 536. — Heinsberg sita erat in ducatu Juliensi, antea dioec. Leodiensi, nunc Aquisgranensi.

92

1453

Iuxta O. VASELLA, *Abt Theodul Schlegel von Chur und seine Zeit*. Friburgii, 1954, p. 10, in Generali Capitulo anni 1453, monasterium S. Lucii Curiensis a praepositura in Abbatam evectum fuit [1]).

93

1454

1. C. L. HUGO, *Annales*, t. I, col. 33, ita scribit : « Anno 1454, die 11. Octobris, sedente Capitulo Generali, Abbatiae Bonae Spei gratificatus est (Abbas Generalis Iohannes Aguetius) [1]), ex annuis Monasterii illius talliis detrahens remittensque septem francos pro perpetuis futuris temporibus ». De eadem gratificatione scribit C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, p. 141 : « Dans le chapitre général de 1454, Jean Aguet put faire remise à l'abbaye de Bonne-Espérance d'une part de sa taille censuelle règlée en 1320 ».

2. J. EVERS, *Formularium Praemonstratense*. II, in *Anal. Praem.*, VIII, 1932, p. IX, Abbatem Generalem cum Capitulo Generali anni 1454, celebrati Praemonstrati, designasse illos qui nomine Capituli adirent Concilium provinciale ab archiepiscopo Remensi [2]) convocatum ad civitatem Suessionensem pro anno 1455. Finis decreti huc pertinentis ita sonat (cfr. EVERS, l. c., p. X) : « Datum Premonstrati, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, mensis octobris undecima, sedente capitulo generali » [3]).

[1]) Schlegl abbas fuit aa. 1515-1529; morte violenta decessit. Cfr. J. B. VALVEKENS, *Abbas Theodolus Schlegel in odium fidei necatus*, in *Anal. Praem.*, XXXII, 1956, pp. 340-346. — Abbatia S. Lucii sita erat in Helvetia. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 68-70.

[1]) Abbas iste erat Iohannes Aguet, abbas aa. 1449-1458. Cfr. supra, n. 1. p. 132.

[2]) Archiepiscopus Remensis tunc erat Iohannes IV Juwenel des Ursins. Cfr. *Gallia christiana*, t. IX, Parisiis, 1751, coll. 138-140.

[3]) De illo Concilio cfr. C. J. HEFELE - H. LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. VII, 2e partie, Parisiis, 1916, p. 1284 s.

94

1455

1. C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 519, ita scribit : « Id muneris (Vicarii Generalis Circariae Lotharingiae) tam laudabiliter gessit (abbas S. Pauli Virdunensis, Tardy) [1]), ut ipsi rursus impositum fuerit a Capitulo generali, anno 1455, erga Circariam Lotharingiae ».

2. J. EVERS, *Formularium Praemonstratense*. II, in *Anal. Praem.*, VIII, 1932, p. X, refert, Iohannem abbatem Praemonstrati [2]), et eiusdem Ordinis abbates a capitulo generali iamdicti Ordinis deputati in monasterio S. Foillani prope Rodium legitime deputati, Ordinem notificare nomina eorum qui ab iis abbatibus deputati fuerint, ut nomine eorum adirent Concilium provinciale Suessionense [3]), celebrandum anno 1455. Finis huius decisionis ita se habet :

« Datum et actum in monasterio S. Foillani, nostri Ordinis, prope Rodium, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, mensis Iunii die secunda ».

95

1460

J. EVERS, *Formularium Praemonstratense*. II, in *Anal. Praem.*, VIIII, 1933, p. XV, contentum refert nonnullorum documentorum. Inter haec, scribit anno 1460, die 10 Aprilis, Simonem, abbatem Praemonstrati [1]), et abbates Ordinis Zelandiae, Flandriae, Namurci, et Hannoniae, congregandos Mechlininae (Scriptum Machlinie, x° Aprilis anno sexagesimo) abbates Circariarum Sueviae (in Germania) et Bavariae convocasse ad Capitulum Generale celebrandum

[1]) Cfr. supra, p. 131.

[2]) De isto abbate generali, Aguet, cfr. supra, p. 132.

[3]) Cfr. de hac synodo: C. HEFELE - H. LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. VII, 2e partie, Paris, 1916, p. 1284 s.

[1]) Simon iste est Simon de la Terrière, abbas Praemonstrati aa. 1458-1470. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 529; C. TAIÉE, *Prémontré*, t. I, pp. 141-143.

Mechlininae, diebus 9-11 Octobris, in quo Capitulo ageretur de reformatione Ordinis.

Item sermo fit de litteris scriptis a Procuratore generali Ordinis Romae, et directis Summo Pontifici, quibus petit ut praescriptiones Capituli habiti Mechliniae, correctionis gratia, submitti possint iudicio cardinalis-protectoris, archiepiscopo Rothomagensi = Rouen [2]), ac Cardinali S. Petri in Vinculis, Romae, et ut deinde a Summo Pontifice approbari possint.

Acta huius Capituli generalis referuntur in Archivo Abbatiae Parcensis, ms. VII, 37, fol. 88 r° - 88 v°. Ita sese habent Acta illa :

« Sequuntur acta Mechliniae per Reverendum dominum Abbatem Praemonstratensem et abbates subscriptos (nomina eorum postea indicantur) ad utilitatem et honorem Ordinis, anno Domini Millesimo XXXmolx, mensis Aprilis die prima.

Primo decretum est et conclusum quod Capitulum Generale proxime futurum pro innovatione et modificatione certorum statutorum et privilegiorum propter certas causas *arduas litterasque apostolicas* [3]), et mandata ad dominum et praelatos a Sanctissimo domino nostro Papa moderno [4]) totum Ordinem concernentes ; necnon pro nonnullis certis et maximis negotiis ibi tractandis, in oppido Mechliniensi celebrabitur et in hospitio venerabilis fratris et domini Abbatis monasterii Sancti Michaelis Antwerpiensis [5]).

Fientque plures et multae copiae litterarum apostolicarum praescriptarum ut mittantur ad circarias diversas et plurimas, ut praelati citius et affectuosius ad Capitulum generale festinent.

Moneantur praelati, quatenus inter hinc et Capitulum studeant

[2]) Archiepiscopus Rotomagensis tunc erat Guilielmus d'Estouteville et de Valmont. Cfr. *Gallia christiana*, t. XI, Parisiis, 1874, coll. 90-93.

[3]) Litterae hae apostolicae, a S. P. Pio II emanatae, paulo infra habentur; in iis Summus Pontifex, personae Ordini extraneae, episcopo Tullensi, munus concredit invigilandi reformationi perficiendae religiosae in institutis ecclesiasticis, etiam religiosis. Eo tempore, Theodoricus a Tuldel, canonicus Tongerloensis, et postea abbas Parcensis (1462-1494), erat procurator Ordinis Romae. Cfr. A. Erens, *Van Tuldel et la Commende*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, pp. 321-356. — Habetur praetera in ms. VII, 37, fol. 90, archivi abbatiae Parcensis, alia bulla S. P. Pii, vi cuius Ordini Praemonstratensi conceditur ut sese reformet per Capitulum Generale; hac ratione ad tempus revocans potestatem ad eundum scopum antea concessam episcopo Tullensi.

[4]) Pius II.

[5]) Iohannes Fierkens, abbas aa. 1452-1476. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 268.

et inquirant quid sit concludendum seu modificandum super esu carnium, ieiunio a festo Exaltationis Sanctae Crucis usque ad Pascha, etc., de abdicatione proprietatis et aliorum plurimorum statum et ordinis honorem concernentium.

Custodiantur secretissime mandata apostolica quae procurator [6]) attulit a Curia Romana, quae necdum sunt aperta, facientia mentionem defensionis contra ea quae impetravit episcopus Tullensis [7]) ; unam de litteris custodiet abbas Sancti Michaelis [8]) et aliam abbas Furnensis [9]).

Fiatque littera amicabilis ad dominum cardinalem Sancti Petri ad Vincula in Urbe, quam cum suis emolumentis et pertinentiis, calicibus et libris (?) conferre praetendit et affectat, ibidem habere (?) fratres et religiosos aliisque favoribus et beneficiis impensis et Ordini impendendum, supplicantes eidem quatenus favorem et zelum inchoatum sua benevolentia prosequi velit et dignetur.

De remedio impetrando contra principes et plurimos saeculares, nobiles, armigeros et alios, qui se ultra modum ingerere non desinunt, tam in electionibus quam aliis negotiis, non sine gravamine seu scandalo modico ; quid sit super hoc agendum seu ordinandum ; provisio seu alia quaevis dispositio declarabitur in proximo Generali Capitulo.

Etiam et qui cupiunt habere tenorem bullae mentionem facientem de novalibus, quam de Mantua procurator reportavit, et est privilegium Alexandri, copient vel exscribi faciant ab originali quam habet penes se Dominus Praemonstratensis.

Sic signatum : De Scaveta.

Sequuntur citandi ad futurum Capitulum ex ordinatione Praelatorum.

Primo abbates et praelati :

Curwaldeneis [10]), Urspergensis [11]), Martellensis (Marchtallen-

[6]) Theodoricus Van Tuldel. Cfr. n. 2.

[7]) Episcopus Tullensis erat Ludovicus de Albuconio = Louis d'Aubusson, O. S. Benedicti. Cfr. *Gallia christiana*, t. II, Parisiis, 1873, col. 672 s.

[8]) Iohannes Fierkens. Cfr. n. 5.

[9]) Antonius Vanderdonck, abbas aa. 1458-1465. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 432.

[10]) Abbas Curwaldensis = Churwalden, in dioecesi Curiae = Chur, erat Georgius, abbas aa. 1449-1461. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 71.

[11]) Abbas Ursbergensis, in dioecesi Augustanae = Augsburg, erat Ulricus Säckler, abbas aa. 1458-1469. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 87.

sis) [12]), Hostroviensis (Osterhoven) [13]).

Item citetur Abbas Romerstorphensis (Romersdorf) ut compareat ad Capitulum et statum monasterii declaret [14]).

Item abbas Insulae Beatae Mariae [15]) et abbas Bernensis [16]) ; propter defectum solutionis talliarum et contributionem Ordinis de pluribus annis.

Mittentur litterae clausae in diversis Circariis :

In Suevia ; Bavaria ; Wadegotia ; Yveldia ; Westphalia ; Frisia ; Bohemia ; Polonia ; Anglia ; Scotia.

Abbates in Lidlum [17]), in Dockum [18]), Horti Beatae Mariae [19]) ; praepositi : Floridi Horti [20]) ; Laurissensis [21]) ; Cluestat (Clostar ?) [22]).

Rubrensis ; Monasteriensis ; Wadegociensis ; Yveldensis ; Urspergensis ; Knechtstedensis ; Steinveldensis ; Clarholtensis ; Spainhartensis ; Sorettensis.

De circaria Normanniae citentur vel exhortentur ut duo vel tres de peritioribus et Ordinis nostri zelatoribus ad Capitulum venire, excusatione quacumque remota, non desistant seu differant.

[12]) Abbas Marchtallensis = Obermarchtal, in dioecesi Rottenburgensi, erat Iohannes Dreyringer, abbas aa. 1440-1474. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 78.

[13]) Abbas Osterhoviensis, in dioecesi Passaviensi, in Bavaria, erat Andreas Amelstorfer, abbas aa. 1447-1461. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 45.

[14]) Abbas Rommersdorfiensis, in dioecesi Trevirensi, erat Hubertus von Köln, abbas aa. 1434-1483. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 187.

[15]) Abbas Insulae S. Mariae = Marienweerd, in dioecesi Ultraiectensi, erat Iohannes Van Braedbeek, abbas aa. 1456-1467. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 305.

[16]) Abbas Bernensis, tunc in dioecesi Ultraiectensi, erat Marcellus de Macharen, abbas aa. 1457-1461 (resignavit a. 1461). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 278.

[17]) Abbas de Lidlum, in dioecesi Ultraiectensi, erat Folkerus, abbas aa. 1450-1468. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 210.

[18]) Abbas de Dokkum, in dioecesi Ultraiectensi, erat Iohannes quidam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 195.

[19]) Abbas Horti S. Mariae = Mariengaarde, in dioecesi Ultraiectensi, erat Tjalling, abbas aa. 1427-1462. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 212.

[20]) Abbas Floridi Horti, seu Wittewierum, in dioecesi Monasteriensi, postea Groningensi, erat Thymannus. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 234.

[21]) Abbas Laurissensis = Lorsch, erat Eberhardus. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 108.

[22]) Clostar recensetur a C. L. HUGO, *Annales*, t. I, 521, inter abbatias Ordinis; iuxta N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 188, erat nomen genericum neerlandicum: Klooster, monasterii siti in civitate Deventer, in dioecesi Ultraiectensi. Anno 1460, prior illius coenobii erat Roelof Strick. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 189.

Similiter et de circaria Suevia, Bavariae, Yveldiae et Wadegotiae, de praelatis maturioribus et peritioribus veniant, de qualibet Circaria duo vel tres, ad negotia tractanda et peritius declaranda.

b. Refertur in ms. Archivi Parcensis, VII, 37, fol. 89 « Motu Proprio » Summi Pontificis Pii II, vi cuius, Guillielmus, episcopus Tullensis, invigilare debet reformationi faciendae in monasteriis et institutis ecclesiasticis in regionibus quae suberant Philippo, duci Burgundiae et Brabantiae (Mantua, 1459, 16 kalendas Augusti).

Venerabili fratri Guilermo, episcopo Tullensi, salutem, etc. Inter causas multiplices, quibus occurrentium rerum negotiorumque varietatibus assidue obsidemur, illam attentius amplectimur per quam cuncta orbis ecclesiae, monasteria, ordines et alia pia loca iugi sanctimoniae debita in spiritualibus et temporalibus prosperitatis optatae dirigantur eventu. Unde efficaciter ad id sollicitudinis studium instruere cupimus et provisionis occurrere remedio salutari, ne ecclesiae, monasteria, ordines et loca ipsa apostolica, quod absit, providentia destituta, consilio, periculosae difformationis attingant continuum, dante Domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementum. Hinc est quod nos, summis et paternis affectibus cupientes ut quaelibet ecclesiae, monasteria et alia loca pia ordinum quorumcumque, saecularia et regularia, etiam exempta ac ecclesiastica beneficia, quaecumque in patriis (?) et dominiis dilecti filii, nobilis viri Philippi Burgundiae et Brabantiae, ducis consistentia, quae satis fida ducis ipsius attestatione didicimus difformitatis opprobrio multipliciter subiecta fore, perhibentibus nonnullis praelatis et illorum rectoribus ac illa obtinentibus debilitati corporali, adeo quod ad exequendum officium sibi commissum reddantur inutiles, quibusdam vero dilapidationis, dissolutionis et incontinentiae vitio laborantibus et aliis diversis periurii videlicet et simoniae vitiis ac excessibus irretitis, quod absque gravi scandalo populi et animarum periculo tollerari nequeam, ad statum debitum reducantur et illa personis talibus committantur, per quarum salubre regimen et exemplum bonae vitae eorumdem per praelatorum, rectorum et obtinentium universique illarum partium populi mores et vita in melius reformentur, et debita meditatione pensantes tuam integritatem et circumspectionem providam in magnis et arduis negotiis comprobatam, ac praeclara virtutum dona atque merita quibus Altissimus te insignivit, et indubie confidentes quod ea quae tibi commiserimus ad Dei honorem, necnon ecclesiarum, monasteriorum locorumque et beneficiorum praedictorum utilitatem, fideliter, sollicite et diligenter

exequeris, motu proprio et ex certa nostra scientia, fraternitati tuae, apostolica auctoritate, tenore praesentium committimus et mandamus quatenus, ascitis tibi, uno, duobus vel tribus viris intemeratis, in theologia magistris seu in utroque iure doctoribus, ad quaevis ecclesias, monasteria et loca praedicta, in quibus hoc expedire conspexeris, personaliter te transferas et vice nostra ea in capite et in membris a spiritualibus et temporalibus iuxta iuris debitum et regularia instituta semel tantum visites et reformes, visitationis quoque officium inibi exerceas, ac contra Praelatos, rectores et obtinentes huiusmodi, cuiuscumque dignitatis fuerint, etiamsi abbatiali aut alia pari vel minori dignitate praefulgeant, inquiras necnon processus inquisitionis contra abbates inde habendos ad nostrum dumtaxat et Apostolicae Sedis examen remittas, alios vero praedictos tantummodo excessuum et demeritorum suorum servato iuris ordine, iuxta regularia eorumdem ordinum instituta ac sanctiones canonicas corrigas, et si eorum demerita exigant suis beneficiis et officiis hac vice dumtaxat prives illaque personis meritis(?) probis et honestis conferas, et de illis etiam provideas, satisfacto tamen prius ab ipsis provisis pro tempore iuribus camerae apostolicae iuxta eorumdem beneficiorum et officiorum verum valorem annuum debitum, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis et exemptionibus, etiam si de illis praesentibus plena, specifica et expressa mentio foret habenda ; et quia quae ad hoc eis in aliquo suffragari nolumus in quem in spem quomodolibet concessis, a statutis et constitutionibus ecclesiarum, monasteriorum, locorum et ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alias roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Mantuae, anno, etc. millesimo CCCCm° ICX°, sexto decimo Kalendas Augusti, pontificatus nostri primo ».

Sumptum ex registro Camerae Apostolicae, collationatum per me G. de Vulteris, dictae Camerae Apostolicae, notarium (?). Et concordat ».

96

1461

Tum *ms. Laon 538*, fol. 55 r°, tum *ms. Nancy 994*, fol. 26 v°, referunt fragmentum ex Actis Capituli Generalis anni 1461, quod haus-

tum dicunt ex archivo S. Martini Laudunensis. Quod fragmentum ita sonat :

« Simon, permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale. Venerabili in Deo fratri Abbati totique Conventui Monasterii sancti Martini Laudunensis nostri Ordinis, salutem in Domino. Cum a nobis exigitur, quod salutare existit et honestum, tam rigor aequitatis quam dictamen postulat rationis ut id per authorizationem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter vestris supplicationibus ad gloriam et laudem Sanctorum, quorum vestro in Monasterio corpora venerantur, benigne annuentes, ut toties quoties Litaniam in vestro Monasterio decantari contigerit, eorumdem Sanctorum Martyrum nomina suo ordine pronuntiare ac intercalare in Litania vestro in Monasterio dici solita describere et cantando nominare ; necnon dicti Monasterii Religiosi seu alii nostri Ordinis causa devotionis supervenientes absque superpelliceis Sanctuarium Chori ad audiendam Missam retro altare maius ipsius Monasterii, consuetudinibus quibuscumque, per praesentem concedimus facultatem, cum eisdem dispensando. Datum Praemonstrati sub sigillo nostri Generalis Capituli anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, mensis Octobris die undecima, sedente nostri Ordinis Capitulo Generali. f. de Scaveta ». « Sigillum in cera viridi ».

97

1462

H. OBREEN, scribens in *Anal. Praem.*, XII, 1936, de monasterio in *Koningsveld*, prope civitatem Delft, in Neerlandia, l. c., p. 33, exponit Capitulum Generale anni 1462 tractasse de difficultatibus exortis inter praepositum de Koningsveld et nonnullos Praemonstratenses-parochos, qui debitis erant obstricti.

98

1464

In ms. asservato in *Archiv. Abb. Averbodiensis*, Sect. IV, 173,

[1]) Cfr. de isto Simone, n. 1, supra, p. 138.

fol. 122 v° - 123 r°, habetur decretum Capituli Generalis anni 1464, vi cuius Capitulum Generale deinceps non amplius conveniet die 9 Octobris (festum S. Dionisii), sed dominica 4a post festum Paschatis, dicta Dominica « Cantate », eo quod canticum Introitus ad S. Missam ea die incipit : « Cantate Domino canticum novum »... Uti in litteris adiunctis Reverendissimi Abbatis Praemonstratensis Simonis [1]), edicitur, haec immutatio fit potissimum ob incommoda praxis hucusque observatae, inter quae citantur « incommoda vindemiarum ».

Decretum Capitulare ita sese habet :

« Universis praesentes literas inspecturis. Simon, permissione divina praemonstratensis abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum, salutem in Domino. Cum propter varietatem temporum statuta varientur humana, nos quorum interest statui et necessitatibus ordinis nostri providere, causis legittimis animos nostros moventibus, matura deliberatione praehabita, Capitulum generale ordinis nostri quod annis singulis in festo S. Dionisii hactenus celebrari Praemonstrati consuevit ad diem Dominicam in qua cantabitur in sancta Dei Ecclesia « Cantate » post Pascha anni Domini 1466 instituimus, statuimus, ordinavimus et illac transtulimus, quae inconcussa omnia et singula quorum interest intimamus, insinuamus et notificamus. Requirentes omnes et singulos qui de iure et consuetudine ad Capitulum nostrum generale venire tenentur quatenus dicto Capitulo tunc anno 66° celebrando sub poenis inobedientiae comparere non deficiant consulturi et auxilium praestituri nobis et pro ordine nostro ibidem exponendo. Datum Praemonstrati, sub sigillo nostri Capituli generalis, anno 1464 mensis Octobris 13, sedente nostro Capitulo generali ».

99

1467

Iuxta H. OBREEN, *Koningsveld bij Delft*, in *Anal. Praem.*, XII, 1936, p. 34, moniales monasterii de Koningsveld, prope Delft (Hollandia), apud Capitulum generale anni 1467 querelas deposuerunt relate ad neglegentias culpabiles praepositi-sacerdotis monasterii [1]).

[1]) Simon de la Terrière. Cfr. supra, n. 1, p. 138.

[1]) Iam Capitulo generali anni 1462 propositae fuerunt difficultates solvendae

100

1473

Tum *ms. Laon 538*, fol. 64 r°, tum *ms. Nancy 994*, fol. 26 v°, fragmentum idem referunt Capituli generalis Ordinis Praemonstratensis anni 1473, quod ita sese habet : « Universis praesentes litteras inspecturis, Iacobus, St Martini Laudunensis [1]), Nicolaus Cuissiacensis, Laudunensis Dioecesis [2]) abbates Ordinis Praemonstratensis, et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, salutem in Domino. Etsi religionis nostrae incumbentia onera, quibus assiduis meditationibus providendi cura nobis existit, solliciti pensamus ; illa tamen quae Capiti nostro incumbunt accuratius attendimus, per quae, ne capite infirmo membra corporis ipsi Capiti subiecta laedantur, totum corpus exinde detrimentum patiatur. Cum itaque vacante Ecclesia Praemonstratensi, quae magistra est et suprema nostri Ordinis et caput existit, per obitum bonae memoriae Domini Simonis [3]), Abbatis ipsius Monasterii, plures et quasi insupportabiles expensae tam pro vacantia ipsius Monasterii, quam aliis et diversis necessariis, ad confirmationem Rmi in Christo nobilis viri Huberti de Montherme [4]), tunc Abbatis Vallis Dei [5]), nostri dicti Ordinis, Remensis dioecesis, Christianissimi Domini nostri Regis Francorum Consiliarii et Eleemosynarii, requiruntur, quas ipse Dominus Praemonstratensis [6]) aerarii sui et dictae Ecclesiae evacua-

relate ad monasterium istud. Cfr. supra, p. 144. — Vide de Koningsveld. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 297-299.

[1]) Agitur hic de abbate I. Lenoir, qui abbas fuit aa. ca. 1465-1485. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 512. Abbatia S. Martini Laudunensis (ad muros civitatis Laudunensis, seu Laon, dioec. antea Laudunensis, nunc Suessionensis), erat secunda abbatia in Ordine, ratione praecedentiae; prima post Praemonstratum.

[2]) Abbatia Cuissiacensis (Cuissy) sita erat in dioecesi Laudunensi, nunc Suessionensi. Erat ex quatuor proto-abbatiis Ordinis: Praemonstratum, S. Martinus Laudunensis, Floreffia, Cuissiacum. Abbas iste Nicolaus est Nicolaus de Herbonville, abbas aa. 1451-1477. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 495-499.

[3]) Simon de la Terrière. Cfr. supra, n. 1, p. 138.

[4]) Hubertus de Monthermé factus est abbas Praemonstrati a. 1470.

[5]) Abbatia Vallis Dei, seu Lavaldieu, sita erat in diocesi Remensi, ad fluvium Mosam. Cfr. N. BACKMUND, II, pp. 383-386.

[6]) Dominus Praemonstratensis tunc titulus erat quo designabatur abbas Praemonstratensis.

tis facultatibus, nequit supportare ; Nos, qui Capiti nostro honorem exhibere et pro viribus semper succurrere intendimus, prout ad hoc ex debito adstringimur, ut unam talliam extraordinariam in et supra omnia et singula monasteria, et unam contributionem super omnes et singulos Prioratus, Parochiales Ecclesias et Beneficia nostri Ordinis, quorumque nomine censeantur, et cuiuscumque valoris existant, habito tamen respectu ad valorem dictorum beneficiorum, Prioratuum, et Parochialium Ecclesiarum exigere usque ad valorem mille scutorum eidem Abbati solvendorum, et quoscumque Praelatos, Priores, Curatos et alios Beneficiatos ad hoc solvendum cogere et compellere possit et valeat per censuras Ecclesiasticas, et alia iuris remedia statuimus, concessimus et ordinavimus. Quare vos omnes et singulos Praelatos, Priores, Curatos, ac quoscumque Beneficiatos praedictos requirimus, et in huiusmodi solutione colligere contributionis se exhibeant promptos et benignos. In huius rei testimonium sigillum nostri Capituli Generalis praesentibus duximus apponendum. Datum in Monasterio S. Martini Laudunensis anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, decima septima die mensis Maii, sedente ibidem propter guerras nostro Capitulo Generali. Sic signum : Senestalli, cum parapho. — Sigillum cecidit.

Posteritati consulens, suprascriptorum Actuum Capituli Generalis anni 1473, ex hac, die duodecima Novembris anni 1661, adhuc bene legibili membrana, quae Praemonstrati servatur, in hanc cartham de verbo ad verbum transtuli et in fidem subscripsi ». (Ita in *ms. Laon 538*, fol. 64 r°). — In *ms. Nancy 994*, fol. 26 v°, haec additur annotatio : « Hunc actum ex veteri membrana Praemonstrati servata fideliter transcripsisse testatur fr. Gregorius du Crocq, secretarius Ordinis anno 1661. 12 Novembris ». [7]).

101

1476

Capitulum generale huius anni 1476 celebratum fuit in abbatia

[7]) Gregorius du Crocq, annis 1661-1662, transscripsit Acta Capitulorum Generalium, quos Praemonstrati invenit. Haec transscriptio ipsius du Crocq habetur nunc in ms. Laon 538. Cfr. introductio, p. VIII. — Ex eo quod in ms. Nancy, 994, fol. 26 v°, dicatur fragmentum quod du Crocq transcripsit pro Laon 538, in hoc isto documento contineri, sequitur scriptorem fragmenti asservati in Nancy 994 transscriptionem du Crocq novisse.

S. Martini Laudunensis. Relate ad ea quae in hoc Capitulo acta et decisa fuerunt, refert M. DUPRÉ, *Annales de l'abbaye de St-Jean d'Amiens*, éd. par A. JANVIER et Ch. BEART, Amiens, 1899, p. 130 :

« En l'an du Seigneur M.CD.LXXVI, Chrétien Buignon [1]), qui avait passé de l'ordre des Frères Prêcheurs en notre Ordre, avait été élevé à la dignité abbatiale dans le couvent de Ressons [2]). Se trouvant au chapitre général tenu à Laon, le 13 mai de cette année, il reconnut que son abbaye de Ressons relevait immédiatement de l'abbaye de Saint-Jean d'Amiens [3]). Ensuite ayant été accusé de quelque faute par l'abbé Foulques [4]), comme Père Abbé, il dut quitter la charge abbatiale l'avant-dernier jour du mois de février suivant ».

C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 652 hunc eventum modo quodammodo diverso proponit, hac ratione : « Christianus Buisson, 1476. canonice electus, competitorem suum Ioannem Masselin, S. Ioannis Ambianensis Priorem, a Patre Abbate per vim intrusum, Domini Praemonstratensis iudicio propulit, et intrusori Paternitas ad vitam sequestrata est ob legitimae potestatis abusum. Anno 1479. vivebat adhuc Christianus ».

102

1477

Duplex fragmentum Capituli generalis anni 1477, celebrati in abbatia S. Martini Laudunensis, tum *ms. Laon 538*, tum *ms. Nancy 994* referunt.

a. *Ms. Laon 538*, fol. 55 r° ; *ms. Nancy 994*, fol. 26 r°.

[1]) Cfr. Buignon abbas fuit aa. 1476-1479. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 561.

[2]) Ressons, seu Ressonium, in dioecesi antea Rotomagenis, nunc Bellovacensi (Beauvais). Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 560 s.

[3]) S. Iohannes Ambianensis (Amiens), abbatia sita in civitate cuius nomen gerit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 544-547.

[4]) Foulques, seu Iacobus le Foullon, abbas fuit aa. 1474-1488. Cfr. N. BACKMUND, l. c., II, p. 546.

« Pro Ecclesia de Vico in Vasconia [1]).

Universis praesentes litteras inspecturis, Hubertus [2]), permissione divina Praemonstratensis Abbas et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, salutem in Domino sempiternam. Ad audientiam nostram pervenit quod Ecclesia seu capella Beatae Mariae in Vico Fesentiati, grangia vulgariter nuncupata, dioecesis Auxitanensis [3]), immediate Abbati Monasterii Casae Dei [4]) subiecta, nostri Ordinis, dictae dioecesis Auxitanensis, magnatum dotatione, et Praelatorum ac populi devotione ad ipsam dietim confluentium, crescit et augmentatur in temporalibus et spiritualibus servitiis diurnis et nocturnis. Quae quidem Ecclesia seu capella regi et gubernari est solita per alterum Religiosum monasterii Casae Dei, grangerium nuncupatum. Et quia mens nostra semper anhelat, desiderat et exoptat augmentum et honorem sacri Ordinis, et ut amplius devotio populi inibi augmentetur, ibique vigeat religio sancta et disciplina monastica observetur, volumus et authoritate nostra Capituli Generalis ordinavimus et ordinamus, quod deinceps Grangerius modernus sit Praepositus et Praepositus in futurum vocetur, cum omnibus honoribus, reverentiis, et praerogativis Praelatis nostri Ordinis exhiberi solitis et assuetis, cum correctione, iurisdictione, authoritate, potestate ligandi, solvendi, corrigendi, puniendi, incarcerandi, et alia faciendi, et exercendi in subditos Religiosos secum in dicta Ecclesia, Grangia nuncupata, degentes et commorantes ; ut per amplius augmentetur quotidie Religio et Regula nostri Ordinis observata, iuxta tamen formam et continentiam Statutorum nostrorum, in ipsaque cultus divinus perseveret, ad Dei honorem, gloriosissimaeque Virginis Mariae, eius Genitricis, et nostri Ordinis exaltationem, necnon populi circumvicini devotionem et salutem ; non praeiudicantibus praemissis in aliquo Abbatis Casae Dei immediati dictae Ecclesiae seu Grangiae Superioris, iure nostrae Ecclesiae Praemonstratensis, et quomodolibet alieno semper salvo. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum Generalis Capituli praesentibus duximus apponendum. Datum in monasterio Sti Martini Laudunen-

[1]) Vicus Fesentiaci, seu Vic-Fezensac, non longe a civitate Auch, in Gallia meridionali. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. III, p. 204 s.

[2]) Hubertus de Monthermé abbas fuit Praemonstrati aa. 1470-1497. Cfr. C. Taiée, *Prémontré*. I, Parisiis, 1872, pp. 143-149.

[3]) Auxitanensis dioecesis, seu Auch, in Gallia merdionali.

[4]) Casa Dei, seu La Case-Dieu. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, III, pp. 171-174. Anno 1477, abbas erat Ioannes de Lascun.

sis, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, sexta die mensis Maii, sedente ibidem nostro Generali Capitulo ».

(Scriptor, du Crocq, in adiuncta nota addit : Il s'agit de cette erection ez Chapitres des ans 1625 et 1630).

b. *Ms. Laon 538*, fol. 64 v° et *ms. Nancy 994*, fol. 27 r° decisionem referunt de semi-tallia levanda in Ordine.

« Universis praesentes litteras inspecturis, Hubertus [5]), permissione divina Praemonstratensis Abbas, et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale celebrantes, pro subveniendo Ordinis necessitatibus ordinaveramus annuam semitalliam debere levari per nos Abbatem Praemonstratensem et quamplures Ordinis nostri Praelati ad huiusmodi solutionem faciendam exhibeant se desides et remissi ; Universitati vestrae notum facimus, quod nos iterum capitulariter congregati, iterum ordinamus dictam semi-talliam debere levari per nos Abbatem Praemonstratensem ab universis et singulis Praelatis nostri Ordinis, qui eam nondum solverunt ; alioquin contra solvere recusantes, indubie procedemus, prout ius et ratio suadebunt ; cum alias non possimus iura et libertates Ordinis nostri defendere, aut tueri, sive in suis necessitatibus subvenire. In cuius testimonium sigillum nostri Generalis Capituli praesentibus duximus apponendum. Datum in monasterio S. Martini Laudunensis sub sigillo nostri Generalis Capituli, anno Domini 1477, die 6a mensis Maii, sedente ibidem Capitulo Generali. Signatum G. Jalendin, cum parapho ; sigillum cecidit ».

(Scriptor, du Crocq, in fine hanc notam apposuit : « Pro iisdem die et anno testatur de dicto fragmento fr. Gregorius du Crocq, quod de praecedenti).

103

1478

In articulo A. ERENS, *Thierry Van Tuldel et la Commende en Brabant : 1470-1490*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, p. (pp. 321-356) 350, haec leguntur (iuxta ms. Braisne, diei 2 aprilis 1478, asservati in arch. reg. Bruxellensi, in quo agitur de relationibus inter abbatem Prae-

[5]) Vide n. 2, p. 149.

monstratensem et Abbates Circariae Brabantiae quoad quaestionem indicatam in titulo articuli, fol. 6) :

« Une ordonnance du chapitre général, en date du 2 avril 1478, charge les abbés de Floreffe [1]), et de Bonne-Espérance [2]), d'envoyer les tailles de la circarie de Flandre pour payer les honoraires du cardinal protecteur, et de collecter les tailles dans les circaries de Brabant et de Floreffe pour décharger l'abbé du Parc [3]) des dépenses dans l'obtention de certaines bulles : celle de Pie II au sujet des statuts et celle au sujet de la révocation des curés ».

104

1480

In Capitulo generali anni 1480, actum fuit, inter alia, de voto paupertatis servando, et de munere Visitatoris, quo huic iniungitur ut de hac re speciali modo inquirat in monasteriis visitatis.

Ita testatur Capitulum Provinciale Circariae Sueviae, celebratum Rothae, die 8a septembris anni 1618. Cfr. Acta huius Capituli Provincialis edita in *Anal. Praem.*, I et seqq., 1925 seqq., pag. spec., p. 117, ubi haec declarata legimus :

« Ne porro Reverendus Abbas in paupertatis votum delinquat, duo ei praecipue observanda statuuntur : Primo, ut ad publicam subditorum saecularium audientiam (quae extra conventum et domum abbatialem loco aliquo commodo instituatur), duos semper religiosos, aut ubi penuria fratrum, minime unum adhibeat ; ut ita monasterii iura exactius sciantur tenacius manuteneantur et subditis iustitia debite administretur. Deinde, quotannis in specie rationem quatuor deputatis : Priori scilicet, suppriori, Cellario et Granario (hi enim, si idonei sint, in deputatos constituantur), de omnibus coenobii acceptis et expensis referet ; cui, si iusta sit, illi subscribant. Quam rationem Reverendus Abbas, etiam sua manu subscriptam

[1]) Abbas Floreffiensis tunc vocabatur: Gerardus d'Eyck (abbas aa. 1465-1492). Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, pp. 373-378.

[2]) Abbas Bonae Spei a. 1480 erat Antonius Mierdorp, abbas aa. 1473-1495. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 364.

[3]) Abbas Parcensis erat Theodoricus van Thulden, abbas aa. 1462-1494. Cfr. R. Van Waefelghem, *Les abbés des monastères belges*, in *Anal. Praem.*, XII, 1936, p. 24.

tenetur ostendere Visitatori, iuxta statutum Capituli generalis anni 1480 ... ».

105

1481

1. *Ms. Nancy 994*, fol. 14 r° statutum Capituli Generalis, Praemonstrati celebrati, anno 1481, citat. Agit hoc statutum de habitu canonicorum.

« Capitulum ordinat, ut omnes Praelati nostri Ordinis, nullomodo suis religiosis committant usum pecuniae, sed eis provideant omnino de vestiario competenti, et faciant eis fieri cappas quibus caputia teneant simul cum cappa, et similiter caputia scapularibus sint consuta ; nec amplius permittant eis habere nec portare tunicas apertas ante vel retro, nec abbreviatas, nisi Abbas, nec bireta discooperta in suis Ecclesiis. Provideant eisdem suis religiosis de omnibus suis necessariis in dormitorio et alibi ; secundum facultatem monasterii et Ecclesiae, prout in capitulo de habitu nostrorum Statutorum plenius declaratur et praecipitur. Poterunt tamen ipsi Praelati super praemissis dispensare cum procuratoribus suarum Ecclesiarum, si eis necesse fuerit saepe aequitare pro negotiis suorum monasteriorum ».

2. In *arch. abbatiae Averbodiensis, sec. IV, ms. 173*, foll. 236 r°-239 v°, habetur copia fragmenti actorum Capituli Generalis, anni 1481. In hoc fragmento, proponuntur modificationes perficiendae in Statutis, tunc adhuc in usu [1]).

Quae modificationes ita sonant :

« Reformatio Statutorum facta in Premonstrato a Capitulo Generali anno 1481.

In capitulo quinto primae distinctionis super verbis *premissa confessione* addatur : generali.

[1]) Finiente saeculo decimo quinto, saepe sermo fuit de novis Statutis Ordinis condendis. Quod perfectum fuit anno 1505. Cfr. relate ad illam novam Statutorum codificationem: E. VALVEKENS, *Le Chapitre Général et les Statuts de 1505*, in *Anal. Praem.*, XIV, 1938, pp. 53-60; *Textes relatifs à la Réforme des Statuts Prémontrés en 1505*, in *Anal. Praem.*, XV, 1939, pp. 24-41.

In capitulo sexto super verbis istis : *Hec et cetera*, illa clausula finalis extendatur ad omnes clausulas prescriptas istius capituli.

Septimum capitulum prime distinctionis est de ieiunio a festo Exaltationis S. Crucis usque Pascha. Servatur ieiunium iuxta formam capituli *Licet Dominus noster* et Bullam Pape Pij. Cetera in eodem capitulo contenta committuntur discretioni prelatorum.

Octavum capitulum predicte distinctionis arbitrio et discretioni prelatorum seu Capituli Generalis relinquatur.

Nonum capitulum maneat.

Decimum capitulum servatur. Oportet tamen providere ubi fratres carnibus vesci debeant. Concedatur autem volentibus etiam comedere carnes in refectorio.

Undecimum capitulum competenter stat. Bonum esset habere declarationem que loca dicuntur habere copiam piscium ; et quando pisces non invenirentur, quid sit faciendum ; et hoc committitur dispositioni prelatorum secundum facultates ecclesiarum et dispositiones regionum.

12 cap. bene stat.

13 cap. indigit correctione non modica videlicet quod fratres possint non vestiti sive lectis plumatis dormire in dormitorio.

14 maneat in dispositione prelatorum.

15 cap. bene est ; sed addatur ad verba, que habentur in professione « quos secundum formam Ordinis canonice elegerit » istud verbum *vel receperit*, et ponatur in potestate Domini Premonstratensis.

16 cap. Attendatis bene tamen illam clausulam circa etatem, quod committatur D. Premonstratensi de duobus annis, quia videtur hoc esse contra dispositionem iuris.

17 bene.

18 cap. secundum tenorem Bulle Pij. Cetera commitantur prelatis.

19 reformetur et habeant religiosi recreationes honestas ad discretionem prelatorum, salvo quod non vescantur carnibus nisi diebus eis concessis.

22 cap. De rasura. Serventur consuetudines patrie secundum dispositionem prelatorum et annuorum circatorum.

Distinctio secunda.

Primum Capitulum secundae distinctionis, salvo quod cedenti-

bus ex legitima causa melius provideatur secundum facultates ecclesiarum. Item nota in fine quod Capitulum studeat impetrare ut habeat auctoritatem in his, quae traxerunt originem a privilegiis et statutis papalibus. Item, ad verba *in festis triplicibus* addatur *maioribus*, quae apud aliquos vocantur triplicia, quadruplicia vel praecipua. De equitatura respiciatur ad consuetudinem patriae et ad facultates monasteriorum, sic tamen quod studeant restringere numerum equorum quantum modo possunt bono. De non usu pontificalium tollatur clausula illa : *nullus quoque Abbas*. Secundum caput stat bene, salvo quod labores ubi non est opus laborare mutentur in alia exercitia honesta. Caetera sunt in dispositione abbatis.

Tertium caput bene, etiam quartum sequens et quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, decimum et undecimum bene stant.

Duodecimum bene, sed non servatur quia in diversis locis aliter providetur per alios. Sit igitur in dispositione Abbatis.

Decimum tertium indiget reparatione. Servetur secundum discretionem prelatorum et facultates ecclesiarum.

Decimum quartum secundum exigentiam locorum et facultatem locorum.

Decimum quintum committatur prelatis.

Decimum sextum et decimum septimum serventur secundum tenorem Papae Pii et dispositionem aetatis quoad dormitionem portarii religiosi.

Decimum octavum et decimum nonum satis bene servantur.

Distinctio Tertia.

Capitulum primum tertiae distinctionis bene per omnia.

Secundum stat satis bene. Provideatur tamen bene super poenis, quia male servatur in pluribus locis. Sit ergo poena arbitraria tam pro prelatis quam pro religiosis fratribus.

Tertium est satis poenale. Extendatur ergo ultima clausula ad omnes clausulas praecedentes.

Quartum stat bene in fine ; sed moderetur poena in principio taxata pro fratribus foris manentibus ad arbitrium Abbatis.

Quintum bene per omnia stat, dempta clausula quae admittit facultatem Abbatibus dispendandi.

Sextum, septimum, octavum, nonum similiter bene.

Decimum capitulum de gravissima culpa provisum est per tertium capitulum.

Undecimum et ultimum capitulum stant satis bene.

Distinctio Quarta.

In primo capitulo Quartae Distinctionis ubi habetur *iidem omnes abbates nostri Ordinis pariter conveniant*, addatur *vel ad minus duo de circaria deputandi, qui veniant expensis remanentium, nisi Dominus Praemonstratensis plures vocandos duxerit.*

Item super illo verbo *ibi et non alibi* addatur *nisi de consensu Dni Abbatis Dni Praemonstratensis et Capituli Generalis aliter fuerit ordinatum.*

Item super illo verbo *in solemnitate Dionisii loco illius* ponatur *Dominica Cantate post Pascha*, qua dominica et duobus sequentibus fiet omnino diebus sequentibus, salva moderatione facienda in poenis contentis in dicto capitulo. Et etiam quoad varia statuta moderatione facta per Gregorium et postea tam de illis statutis quam de ordinationibus factis per eumdem Gregorium, moderatione nova facta per Papam Pium. Loco autem poenae statutae in abbates non venientes ad Capitulum, ordinetur contra abbates non venientes neque mittentes duos de qualibet Circaria ut praemittitur poena talliae unius anni applicandae ad usum Capituli Generalis cum poena arbitraria alias iniungenda per Capitulum Generale.

Secundum, tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, octavum et nonum bene ; notentur tamen poenae ipso facto latae.

Decimum, undecimum, duodecimum bene. Cogitetur autem circa decimum tertium de esu cum mulieribus. Videtur ad verba illa *comedere velit* addendum esse *vel dare licentiam comedendi.*

Decimum quintum bene examinetur propter censuras, quod sic videtur reformandum : quod conspiratores et portantes cultellos acutos aut arma ad nocendum, apostatas quos excommunicationis sententiam incurrere decernimus, ipso facto excommunicatos denuntient ad minus semel in anno, scilicet dominica ante Pascha ; ludentes vero ad decios aut alium quemcumque ludum pro pecunia inbursanda, si super hoc convicti fuerint. Et caetera prout inibi continetur.

Decimum sextum, septimum, octavum, nonum, vigesimum et vigesimum primum bene stant. Vigesimum secundum indiget masti-

catione tali, scilicet quod si ex maiori contemptu acrius puniantur, si aliter minus.

Vigesimum tertium bene stat ».

106

1483

Hoc anno Capitulum Generale fuisse celebratum, novimus ex documento publicato in *Anal. Praem.*, XL, 1964, pp. 337-341, e quibus novimus abbati Tallet (aa. 1479-1494), abbatiae Seriaci, seu Séry, Ordinis Praemonstratensis, concessam fuisse ab abbate generali, Huberto de Monthermé, et capitulo generali, dicto abbati orationum associationem. Cfr. *Anal. Praem.*, XL, 1964, p. 338, n. 3.

107

1484

Hoc anno celebratum fuit, praeside Abbate Praemonstratensi, Huberto, Capitulum Generale in abbatia Sancti Martini Laudunensis.

1. Refert C. L. HUGO, *Annales*, t. II, col. 703 :

Henricus Herlin, abbas Rothensis [1]), « Capitulo Generali apud Sanctum Martinum Laudunensem congregato, ab Huberto Abbate Praemonstrati [2]) anno 1484. interfuit, et Fraternitatis litteras, quales antea a cardinali Marco Patriarcha Aquileiensi, et Sedis Apostolicae Legato [3]), impetrarat anno 1474. obtinuit, pro iis quae ad reparationem et conservationem aedificiorum, calicum, librorum uno incendio consummatorum, adiutrices porrigerent manus ».

2. Alium casum in hoc Capitulo Generali fuisse pertractatum et

[1]) Abbas iste Herlin, seu Hünlin abbas Rothensis fuit aa. 1474-1501. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 81.

[2]) Hubertus de Monthermé abbas Praemonstrati aa. 1470-1497. Cfr. supra, n. 2, p. 149.

[3]) Legatus iste Apostolicus est Marcus Barbo. Cfr. art. *Barbo* in *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie Ecclésiastiques*, t. VI, 1932, coll. 657-660.

ordinatum scimus ex A. ERENS, *Van Tuldel et la Commende*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, p. 355 :

« Au chapitre général de 1486 quelques abbés pour examiner le différend qui divisait les abbés de Bonne-Espérance [4]) et de Parc [5]) par rapport à un rescrit apostolique qui avait placé Van Tuldel sous la protection des abbés de Ste-Gertrude de Louvain et de St-Augustin de Liège ».

108

1486

Tum *ms. Nancy 994*, foll. 27 v° - 29 v° (numeratio foliorum minus quadrat ; nam fol. 28 non habetur, quamvis textus decreti completus adsit) ; tum *ms. Laon 538*, foll. 65 r° - 66 r°, decretum sequens huius Capituli habent :

« Fragmentum Capituli Generalis anni 1486, desumptum ex neglecto pergameno.

Universis praesentes litteras inspecturis, Hubertus permissione divina Praemonstratensis Abbas [1]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos in omnibus et singulis causis, controversiis, querelis et negotiis nostris motis et movendis, quas habemus, et habituri sumus contra quascumque personas et quaecumque personae contra nos in quibuscumque causis coram quibuscumque fratribus ecclesiasticis et saecularibus, auctoritate quacumque, seu mandato, fungentibus seu functuris, et eorum loca tenentibus Venerabiles fratres nostros S. Martini Laudunensis [2]), Floreffiensis [3]), Cuissiacensis [4]), Clarifon-

[4]) Abbas Bonae Spei erat Antonius Mierdorp. Vide n. 2, p. 151.

[5]) Agitur de abbate Parcensi Van Tuldel.

[1]) Hubertus de Monthermé; cfr. n. 2, p. 149.

[2]) Abbas Laudunensis tunc erat Ioannes Poulaillier, abbas aa. 1485-1522. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 512.

[3]) Abbas Floreffiensis tunc erat Gerardus d'Eyck. Vide n. 1, p. 151.

[4]) Abbas Cuissiacensis tunc erat Tugdualdus de Vennes, abbas aa. 1479-1505. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 498.

tis [5]), Loci Restaurati [6]), S. Evodii de Brana [7]), Viconiensis [8]), S. Michaelis Antverpiensis [9]), S. Foillani [10]) monasteriorum Abbates, necnon dilectos filios nostros Ioannem de l'Escail, Petrum de Martyrol, Ioannem de Treilx, Remigium Despont, nostri Ordinis Canonicos, venerabilesque viros magistros Nicolaum le Panetier, Henricum Pontac, Gerardum d'Eulx, Ioannem Heusden, Godefridum Gonet, Godefridum Glanys, latores praesentium nostros facimus, contituimus, nominamus, et ordinamus procuratores generales, et internuntios speciales, et eorum quemlibet in solidum ; ita quod non sit melior conditio primitus possidentis, nec deterior subsequentis. Sed quod unus illorum inceperit, alter eorum prosequi valeat et finire cum effectu ; dantes et concedentes tam coniunctim quam divisim eisdem Procuratoribus nostris, et eorum cuilibet in solidum, plenariam potestatem ac mandatum speciale agendi pro nobis et Ordinis subiectis tam coniunctim quam divisim, ordinemque nostrum, ac personis eiusdem defendendi, conveniendi, et reconveniendi, replicandi, duplicandi, triplicandi et quadruplicandi et defectus apponendi, nosque et Ordinem nostrum excusandi, causas nostrae absentiae et cuiuslibet coniunctim et divisim allegandi et prospiciendi, litem seu lites contestandi, iurandi in querelas nostras de calumnia, malitia et veritate dicendi, ac cuiuslibet alterius generis licita iuramenta praestandi, positionibus et actionibus respondendi et contra se concludendi. Testes, litteras, et instrumenta in modum probationis producendi et exhibendi, ius interlocutorium, et sententias definitivas petendi, et audiendi, ab ipsis et a quolibet gravamine illato vel inferendo appellandi et provocandi ; appellationes et procurationes quascumque prosequendi, promovendi, intimandi et noti-

[5]) Abbas Clarifontis (Claire-Fontaine) illius temporis non indicatur apud N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 372.

[6]) Abbas Loci Restaurati (Lieu-Restauré) tunc erat Ioannes de Tenailles, abbas aa. 1475-1492. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 515.

[7]) Nomina singulorum abbatum Branae non clare constant. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 486 s.

[8]) Abbas Viconiensis tunc erat Walterus Olerius, abbas aa. 1465-1492. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 432.

[9]) Abbas Sti Michaelis Antverpiensis tunc erat Ioannes Robyns ; currente a. 1486, ad Praelaturam accessit Iohannes De Weerdt. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 268.

[10]) Abbas Sti Foillani a. 1486 erat Tussanus de Trazegnies; currente anno eodem, accessit ad praelaturam Iohannes Despart. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 396.

ficandi. ..... semel et pluries petendi et obtinendi, expensas petendi, taxari faciendi, iuramentum super eisdem, et eas expensas, et cautiones quascumque praestandi, excipiendi, litteras tam simplices quam gratiam seu iustitiam in se continentes, a quocumque iudice petendi et obtinendi, Iudices et loca eligendi et exonerandi beneficium ab absolutionis (!) simpliciter ad cautelam ac restitutionem in integrum a quocumque Iudice petendi et obtinendi, in quibuscumque causis se adiungendi, et admitti petendi et procurandi, nostri praedicti Ordinis Apostatas et fugitivos capiendi, incarcerandi, arrestandi, seu capi, arrestari, incarcerari per potentiam saecularem faciendi, et ad Ecclesiam Praemonstratensem aut alibi conducendi, incarcerandi, a carceribus educendi, et eorum liberationem procurandi, in quibuscumque causis nomine nostri Ordinis se adiungendi, et specialiter onus et defensionem causae motae inter Venerabiles Confratres nostros Abbatem Parcensem Actorem ex una, et Abbatem Bonae-Spei reum, ex altera, partibus, virtute cuiusdam rescripti Apostolici per ipsum Abbatem Parcensem impetrati coram Venerabili in Christo Patre et Domino Abbate Sanctae Gertrudis Lovaniensis necnon Domino Sancti Augustini Leodiensis dioecesis asserto Iudice in hac parte, Apostolica auctoritate deputato.

Confratres suscipiendi et capiendi, unum vel plures Procuratorem vel Procuratores semel aut pluries, qui consimilem et eamdem in praemissis habent seu habeant potestatem loco sui suscipiendi, substituendi substitutumque ut substitutos revocandi, praesenti tamen procuratorio in suo robore permanente. Et generaliter omnia alia et singula faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, quae nos faceremus aut facere possemus si praesentes essemus, etiamsi talia sint quae mandatum exigerent speciale, ratum firmum habentes et plenius habituri totum et quicquid per praedictos Procuratores nostros alterum eorumdem ; seu per substitutum vel substitutos ab ipsis aut eorum altero actum, dictum, gestum, factumque fuerit in praemissis, aut alias quomodolibet procuratum. Promittentes sub hypotheca et obligatione rerum nostrarum et Ordinis nostri si necesse fuerit, indicio sisti et iudicatum solvi cum suis clausulis opportunis. In cuius rei testimonium sigillum nostri Generalis Capituli praesentibus litteris duximus apponendum. Datum in Monasterio Sancti Martini Laudunensis nostri praedicti Ordinis, anno Domini millesimo quadringentesimo sexto, vigesima quinta mensis Aprilis, sedente ibidem nostro generali Capitulo ».

109

1487

Hoc anno celebratum fuit Capitulum Generale in abbatia S. Evodii de Brana (Braine), non ita longe ab urbe S. Quintini et Prémontré.

In articulo A. ERENS, *Thierry van Tuldel et la Commende en Brabant. 1470-1490*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, p. 351 s. quaedam de hoc Capitulo dicuntur. Scribit A. Erens :

« Une lettre collective de quelques prélats des Pays-Bas méridionaux, adressée à l'abbé général et au chapitre (in n. 1 apposita dicitur ab Erens quinam sint illi Praelati)... : On y relève le gant en faveur de l'abbé de Parc (Van Tuldel), qui est en dispute avec Sa Paternité, et qui cependant que plusieurs abbayes existent encore et aient été arrachées aux gueulles voraces qui allaient les engloutir. A moins de se montrer ingrat, l'on ne peut que soutenir l'abbé Thierry van Tuldel [1]). C'est pourquoi les Prélats du Brabant députent au chapitre général Tossanus de Trasegnies, abbé de St-Feuillien de Rœulx, docteur en droit [2]), pour applanir toutes les difficultés et obtenir une plus grande entente dans l'Ordre, — si du moins cet abbé parvient sain et sauf à destination à travers les dangers de guerre. Ce député devra en outre chercher une solution qui puisse contenter l'abbé de Parc, quant à ses déboires. Ils demandent pour finir de vouloir fixer un autre endroit pour les prochaines réunions des chapitres généraux, une ville se rapprochant plus du Hainaut, où l'assemblée pourrait être suivie plus aisément par les abbés de la Germanie et d'autres nations, et où une action commune aurait plus d'emprise sur tout l'Ordre. Le Chapitre fut favorable à cette demande et se déclara à faire la paix, à condition que, par l'intermédiaire de l'abbé de St-Feuillien, on lui soumit les comptes de toutes les dépenses, faites en cour romaine pour l'obtention des bulles, de même que l'exposition de tailles de l'Ordre, perçues par l'abbé de Parc.

Il faut croire — c'est du moins l'impression qui se dégage de l'étude de la documentation qui nous est fournie dans ces pages

[1]) Theodoricus Van Tuldel abbas fuit Parcensis, aa. 1462-1494. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 321; et supra n. 3, p. 151.

[2]) Cfr. n. 10, p. 158.

— que les pères du chapitre avaient été documentés par les demandes réitérées de l'abbé Van Tuldel, réclamant aide et secours pour sortir de ses dettes. L'on ne comprenait pas comment les tailles, concédées depuis certaines années, dans les riches monastères des Pays-Bas et de la Rhénanie, ne couvraient pas les dépenses.

La Chapitre fut plus accomodant quand il eut sous la main les comptes de Van Tuldel, corroborées par les pièces requises. Le document, rédigé le 18 juillet 1487, par les soins des abbés de St-Michel, Bonne-Espérance, Grimbergen et St-Feuillien [3]), fournit des données précieuses au sujet des frais de chancellerie et des dépenses occasionnées par les négociations ».

110

1490

In documentis editis a H. HEIJMAN, *Der Friesische Kreis der Prämonstratenser-Klöster*, in *Anal. Praem.*, I, 1925, pp. (20-48) 39-48, duo habentur provenientia a Capitulo Generali anni 1490 ; et quae referuntur a Heijman iuxta editionem E. FRIEDLANDER, *Ostfriesisches Urkundenbuch*, Bd. I-II, Emden, 1878.

1. Abbas Praemonstrati et Capitulum Generale monasterio de Langen ius concedunt admittendi clericos sive sacerdotes saeculares ad habitum Ordinis et ad professionem, dummodo liberi sint et nati de matrimonio

« Hubertus, permissione divina Premonstratensis abbas [1]), et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale venerabili nobis in Christo confratri Iohanni Boemel [2]), preposito monasterii sanctimonialium sancti Iacobi in Langhen [3]), nostri ordinis Premonstraten-

[3]) Abbas St. Michaelis erat Iohannes De Weerdt. Cfr. supra, p. 158, n. 9; Bonae Spei: Antonius Mierdorp; supra, n. 2, p. 158. Grimbergensis: Arnoldus Persoens, abbas aa. 1489-1505: cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 239; abbas St. Foillani erat Tussanus de Trazegnies. Cfr. supra, n. 10, p. 158.

[1]) Hubertus ille est Hubertus de Monthermé. Cfr. supra, n. 2, p. 156.

[2]) Iohannes Boemel, seu van Boemel praepositus erat ibidem aa. 1479-1512. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 206.

[3]) Langhen, seu Langhermunken, per aliquod tempus fuit monasterium duplex. Sita in Frisia Orientali, finem habuit saeculo decimo sexto ad finem vergente. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 203-206.

sis, Monasteriensis diocesis, salutem et pie paternitatis affectum. Ut quoscumque clericos sive sacerdotes seculares ad habitum nostri ordinis vestri monasterii et ad professionem faciendam recipere possitis et valeatis, qui vocem habeant in capitulo ad electionem futurorum prelatorum, dummodo tales sint de libero ventre et de legitimo matrimonio procreati, prout iuris ordo requirit et exigit et aliquos alios defectus non paciantur, ad augmentum et laudem divini cultus vobis et successoribus vestris canonice intrandis et instituendis, presencium tenore licentiam concedimus et super premissis dispensamus, statutis nostri ordinis in contrarium editis non obstantibus. Datum in monasterio sancti Martini Laudunensis nostri dicti ordinis, sub sigillo nostri generalis capituli, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo, die undecima mensis Maii, sedente ibidem nostro generali capitulo ».

2. In altero documento eiusdem Capituli generalis, celebrati in abbatia S. Martini Laudunensis, conceditur monasterio de Langen, die 11 maii 1490, dispensatio a ieiunio severo Adventus.

« Hubertus, ..., (ut supra), venerabili confratri Iohanni Boemel, preposito monasterii sanctimonialium sancti Iacobi in Langhen, ..., totique conventui, salutem in Domino. Ut cunctos actus vestros sic provida discretaque circumspectione dirigatis, quod mentibus vestris scandalum generari aut a quocumque irreprensibili iudicari non possit, vestris desideriis libenter intendimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque in monasterio vestro temporibus et diebus adventus Domini, in quibus alimentis, sicuti quadragesimalibus temporibus consuetum est, vivere tenemini, piscibus et aliis victualibus in dicto adventu ad vestram sanitatem necessariis carere contingat, vobis omnibus et singulis utriusque sexus personis nobis subditis, ut lacticiniis et huiusmodi cibis aliis, quibus religiosi nostri sepedicti ordinis aliis temporibus, carnibus dumtaxat exceptis, uti, frui et vesci possitis et valeatis, et quilibet vestrum valeat et possit, tenore presentium facultatem gratiose concedimus, pariter et dispensamus, statutis quibuscumque nostri ordinis in contrarium editis non obstantibus. Datum in monasterio sancti Martini Laudunensis nostri dicti ordinis, sub sigillo nostri generalis capituli, die undecima mensis maii, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo, sedente ibidem nostro generali capitulo ».

111

1492

1. Huius Capituli Generalis, celebrati in abbatia S. Evodii de Brana, C. L. HUGO, *Annales*, duas refert decisiones.

a. T. I, col. 649, scribit HUGO : Ius paternitatis Steinfeldiae [1]) in Ellen [2]) « laudavit asseruitque postea Hubertus, Praemonstratensis Abbas [3]), Capitulo Generali in monasterio S. Evodii de Brana, anno 1427. Knechstedensis Abbas [4]), delatae pridem iurisdictionis poenitens, ipsam in visitationis actu resumpsisset, et anno 1459. ad Ecclesiam Hambornensem [5]) versatili ex genio transtulisset ».

b. « Approbavit extinctionem parthenonis Wenauviensis, Praepositurae titulo » [6]).

2. Tum *ms. Nancy 994*, fol. 27 r° - 27 v° ; tum *ms. Laon 538*, fol. 64-65, referunt decretum huius Capituli.

« Fragmentum Capituli Generalis anni 1492.

Hubertus, permissione divina Praemonstratensis Abbas [7]), et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, dilectis nobis in Christo Religiosis nostri Ordinis Praemonstratensis in alma Universitate Parisiensi degentibus et studentibus [8]), salutem. Cum affectu

[1]) Steinfeldia seu Steinfeld, in dioecesi antea Coloniensi, nunc Aquisgranensi (Aachen). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 192-195.

[2]) Ellen, in eadem fere regione ac Steinfeld situm monasterium. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 162 s.

[3]) Hubertus ille est Hubertus de Montherme. Cfr. supra, n. 2, p. 151.

[4]) Knechsteden, in dioecesi Coloniensi. Anno 1492, abbas erat Gerardus von Heze. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 175-177.

[5]) Hamborn, antea dioecesis Coloniensis, nunc Esseniensis (Essen). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 166-168. Monasterium istud inde a paucis annis iterum a Praemonstratensibus occupatur.

[6]) Wenau, in dioecesi Coloniensi, situm, anno 1802 fuit suppressum. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 199 s. — In hoc Capitulo abrogatur munus Praepositi; huic substituitur munus prioris ad nutum.

[7]) Cfr. n. 3.

[8]) Cfr. de Collegio Ordinis Parisiensi, situm in rue Hautefeuille: N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 518-520; J. JOHN, *The college of Prémontré in Mediaeval Paris*, in *Anal. Praem.*, XXVIII, 1952, pp. 137-171; XXX, 1954, pp. 161-177;

piae paternitatis cupientes vobis et singulis praescriptis quantum Deus nobis donaverit salubriter in spiritu providere, confisi de fidelitate, litteratura, morum honestate ac laudabili vita et conversatione dilecti nobis in Christo filii nostri fratris Iacobi de Bachimont, Presbyteri Religiosi monasterii S. Iudoci in Nemore, nostri praetacti Ordinis Praemonstratensis, Dioecesis Ambianensis, Baccalaurei in Sacra Pagina formati [9]), ipsum vobis in Priorem Collegii nostri Parisiensis, in Dei nomine praesentamus, constituimus, et effectualiter ordinamus ; et eundem Prioratum sibi contulimus, donavimus, cum omnibus iuribus, emolumentis, et testimoniis ipsius Collegii ; necnon stipendii nostri Ordinis ab antiquo ipsi Priori consuetis et ordinatis. Hinc est quod vobis omnibus et singulis supradictis, in meritum obedientiae salutaris, et sub poenis Ordinis firmiter praecipiendo mandamus, quatenus praefatum fratrem Iacobum sic per nos, ut praemittitur, praesentatum et confirmatum, benigno favore recipiatis, et eidem in omnibus licitis et honestis, tamquam nobis, humiliter et ut decet, obediatis. Cui Priori auctoritate nostra liberam facultatem concedimus, et harum serie committimus, Confessiones Scholarium Parisiis degentium audiendi, et eosdem a peccatis sibi confessis absolvendi, Scholaresque extra Collegium nostrum Parisiis manentes ad proprium Collegium evocandi, et ad hoc faciendum censuris, quibus decet, ecclesiasticis, et aliis nostri Ordinis poenis cogendi et compellendi, in Apostatas et fugitivos ac delinquentes iuxta suorum delictorum exigentiam corrigendi et puniendi, iuxta

E. VALVEKENS, *Le Collège des Prémontrés à Paris au seizième siècle*, in *Anal. Praem.*, XVI, 1940, pp. 5-40.

[9]) Iacobus de Bachimont, S. Th. Dr. Parisiensis, prior Collegii Ordinis Parisiensis, postea abbas Cuissiacensis et Abbas Generalis (aa. 1513-1531). Cfr. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 954; L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, p. 28 s.; Abbas Generalis l'ECUY, *Vitae Series historica et chronologica*, ed. E. VALVEKENS, in *Anal. Praem.*, X, 1934, pp. 145-209, haec dicit de vita de Bachimont: « Jacobus de Bachimont, Parisiensis, doctor theologus, alumnus Domni Martini, primo abbas Cuissiaci et Branae. Ad Concilium Pisanum delegatus ibi, teste cancellario Oliverio, ita diserte perorat « ut in omnium ore et admiratione esset ». Electus abbas Praemonstrati anno 1513, ab eadem Synodo, quatenus abbas Praemonstrati et Branae confirmatur. Verum a Julio II excommunicatus eo quod huic synodo interfuerit et ab eo confirmationem acceperit, tandem a Leone X confirmatur et in possessionem Praemonstrati et Branae asseritur. Plurimis in utraque praeclare gestis, obiit 16a Martii 1531 ». (l. c., p. 189 s.); C. TAIÉE, *Prémontré*, t. II, Parisiis, 1873, pp. 15-23.

Statutorum nostrorum tenorem, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio ; caeteraque alia faciendi, dicendi, gerendi, et exercendi, quae officium Prioris postulat et requirit. Datum in Monasterio s. Evodii de Brana, praefati Ordinis, Dioecesis Suessionensis, sub sigillo nostro Generalis Capituli, anno Domini 1492. Die 21 mensis Maii, sedente ibidem nostro Capitulo Generali. Signatum : G. Dalendin (cum parafo) ; Sigillum cecidit ».

In ms. *Laon 538*, scriptor huius manuscripti, G. du Crocq, hanc addit notam : « Concordat de verbo ad verbum cum pergamenaceo acto quod Praemonstrati asservatur, et ex quo, eius notitiam ad posteros transferre volens, hanc feci copiam hodie 12° Novembris 1667. Et in fidem subscripsi :

f. Gregorius du Crocq, Ord. Praemons. a secretis ».

112

1495-1496

C. L. HUGO, *Annales*, II, p. VII, per transennam dicit anno 1495 celebratum fuisse Capitulum Generale, praesidentibus abbatibus S. Martini Laudunensi et Cuissiacensi.

Similiter in t. I, col. 716 s., per transennam sermonem habet de Capitulo Generali anni 1496.

113

1497

In Arch. Abbatiae Averbodiensis, Sect. IV, ms. 173 (varia documenta collecta a die VOECHT [1]), foll. 104-108 r°, quaedam habet ex Actis Capituli Generalis anni 1400 - a. XCVIJ. Acta illa (partialia) sic sonant :

« Capitulum praesens admittit magistrum Cassianum Bevere notarium Apostolicum in notarium Ordinis, sub stipendiis consuetis

[1]) Aegidius die Voecht, canonicus Averbodiensis († 1653), plurima documenta collegit. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Savants et Artistes de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, pp. 191-193.

usque ad revocationem ; et ipse notarius praestitit iuramentum consuetum in praesentia totius Capituli fideliter exercendi dictum officium notariatus ; ad honores et utilitates nostri Ordinis secundum suum posse.

Annuit Capitulum supplicationi factae per fratrem Robertum Uauters praepositum monasterii Domus Dei in Polonia, requirentem litteras testimoniales continentes licentiam sibi datam eundi Jerosolimam, et indulgendi suis benefactoribus participium bonorum spiritualium Ordinis, ut dicto fratri facilius velint in suis necessitatibus providere.

Item quod fiat commissio Domino Parcensi ad compellendos curatos sive regentes curas sub Domino Ninivensi [2]), ne Dominus Cameracensis [3]) eosdem defendat in eorum excessibus inobedientes.

Item Capitulum praesens ordinat, et deputat Abbatem Steinfeldensem [4]), in Visitatorem Circariae Westphaliae, ut in sua commissione fiat specialis clausula, quod ipse assumpto praeposito Cappenbergensi [5]), corrigat et reformet moniales de monasterio Wezaliae [6]), taliter, quod a suis inobedientiis et inordinatissimis tum habituum quam morum insolentiis sub ordinis censuris compescantur et arceantur.

Item quod fiat missiva gratiosa Abbati Steinfeldensi [7]) regratiando ipsum de laboribus per eum impensis pro honore et ampliatione ordinis, animando et inducendo, ut in his indeficiens perseveret, eadem intimando quod capitulum generale ipsum in Visitatorem Circariae Westphaliae deputat usque ad triennium secundum requisitum per Georgium nuntium suum, et postea constiterit capi-

[2]) Ninovia, abbatia sita in oppido eiusdem nominis, in dioecesi Gandavensi. Anno 1497, abbas erat Wilhelmus Duchateau. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 314-316.

[3]) Dominus, seu Episcopus, Cameracensis, ad quam dioecesis tunc adhuc pertinebat Ninovia, tunc erat Henricus de Berges (episcopus aa. 1480-1501). Cfr. *Gallia christiana*, t. III, Parisiis, 1876, col. 50 s.

[4]) Steinfeldia, in dioecesis antea Coloniensis, nunc Aquisgranensis. Abbas erat Iohannes IV. de Buren (abbas aa. 1492-1501). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 192-195.

[5]) Cappenbergia, in dioecesi Monasteriensi (Münster). Praepositus anno 1497 erat Theodoricus v. Olden (praepositus aa. 1492-1511). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 158-160.

[6]) Wezalia (Wesel) erat monasterium Monialium. Antea dioec. Coloniensus, nunc Monasteriensis. Cfr. N. BACKMUND, I, p. 200 s.

[7]) Steinfeldia, cfr. ad n. 4.

tulo de quittantia Domini Parcensis (?), anno futuro sive sibi absoluta quittantia de annis praeteritis.

Item super supplicatione facta per modernum praepositum Laurissensem [8]), requirentem habere responsum, scilicet an praedecessor suus debeat cogi ad sibi praestandam obedientiam, fiat eidem missiva significando quomodo secundum tenorem statuti in capitulo de Abbate, quod est 17. secundae dictinctionis, dictus suus praedecessor infra 40 dies elegit domum praemonstratensem in suam ecclesiam cui fecit obedientiam in monasterio Branensi [9]) ; et propterea ipse Dominus Praemonstratensis et Capitulum Generale propter certas causas animum suum moventes, non obstante Capitulo generali a° 1490 in monasterio S. Martini recepit eundem suum praedecessorem in sua salvaguardia sibi inhibens ne in praeiudicium dictae salvaguardiae quicquam attentare praesumat.

Item fiat commissio Abbati de Capella, Tholosanae dioecesis [10]), ad inquirendum de vita et honestate venerabilis viri Domini Raymundi, presbyteri, requirentis recipi ad obedientiam Abbatis Casae Dei et monasterii sui et si invenerit eumdem esse conversationis honestae faciat ipsum ad ordinem nostrum recipi sub anno probationis, non obstantibus contradictionibus aliquot religiosorum dicti loci.

Item quod fiat commissio Abbatibus S. Iohannis Ambianensis [11]) et de Seriaco in pratis [12]), Ambianensis dioecesis, ad inquirendum de certis contractibus initis inter Abbatem S. Petri Selincurtis [13]),

[8]) Laurissa, sive Lorsch, non longe a civitate Moguntina (Mainz). Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, pp. 106-108. Catalogus praepositorum non undequaque constat. Iuxta Backmund, l. c., p. 108, praepositus Iohannes Mührer, obiit a. 1497. Non constat autem quando munus suum inceperit, et quando praedecessor eius a munere suo cesserit.

[9]) Brana seu S. Evodius de Brana (Braine), in dioecesi Suessionensi. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, pp. 484-487.

[10]) Capella, seu La Capelle, prope civitatem Tolosanam (Toulouse). Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, t. III, pp. 168-170. Abbas a. 1497 erat Bernardus de la Tour.

[11]) Abbatia S. Iohannis Ambianensis (Amiens), in civitate et diocesi eiusdem nominis. Anno 1497, abbas erat Guilielmus de Montesson. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, pp. 544-547.

[12]) Seriacum in pratis seu Séry, in dioecesi Ambianensi. Abbas a. 1497 erat Iohannes Merlot. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, pp. 559-571.

[13]) Abbatia S. Petri Selincurtensis seu Sélincourt, in dioecesi Ambianensi. Abbas a. 1497 erat Guilielmus Matifas. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, pp. 566-569.

dicti dioecesis, et fratrem Petrum Rayez, religiosum dicti loci et si invenerint dictos contractus factos in praeiudicium vel gravamen eiusdem monasterii eosdem cassent et annullent cum facti sint contra tenorem Statutorum Ordinis nostri.

Item quod fiat missiva Abbati S. Michaelis Antverpiensis [14]), significans eidem diligentiam quam fecit Georgius nuntius suus erga praesens Capitulum.

Item Capitulum absolvit Abbatem Casae Dei [15]) a talliis Ordinis per eum debitis de duobus annis nuper elapsis.

Item decernit Capitulum quod per universa et singula monasteria Ordinis fiat unum servitium solemne pro anima magistri Gerardi Dalemnii notarii Ordinis, nuper defuncti, eo quod habeat litteras orationem Ordinis.

Item quod fiat littera confirmationis certi contractus initi inter Ecclesias S. Martini Laudunensis et Parcensis iuxta Lovanium, Leodiensis dioecesis.

Item annuit praesens Capitulum Generale supplicationibus Domini Egidii de Belleiville et eius mulieris Guillielmae de Lutzembourg quae talis est ut pro sex obitibus solemniter annuatim celebrandis in monasterio nostri Ordinis Sancti Evodii de Brana, specialiter vero solemnitate Praesentationis Virginis Mariae in eadem Ecclesia singulis annis solemniter celebranda, et pro cereo, miraculose ante corpus Dominicum illic sub hostia consecrata praeservatum, in matutinis, magna missa, vesperis et completoriis illuminando, interim dum illud canticum Ave Regina coelorum decantatur, pro quibus omnibus gratiose eidem Ecclesiae Branensi ducentas et 50 libras Turonenses pro remedio animae Illustrissimi Comitis de Sarreburg parentis uxoris suae et omnium amicorum suorum contulit.

Item quod fiat missiva Abbati S. Christophori in Hispania [16]), dioecesis Burgensis, quia Ordo nihil recepit de compositione facta

[14]) Abbatia S. Michaelis Antverpiensis sita erat in civitate eiusdem nominis. Abbas a. 1497 erat Iohannes de Weerdt. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 265-269.

[15]) Abbatia Casae Dei seu Chateau-Dieu, vel Chateau-l'Abbaye, sita, antea in dioecesi Tornacensi, nunc Cameracensi (Cambrai). Anno 1497 abbas erat Iohannes Gourdin. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, 405-408.

[16]) Abbatia S. Christophori de Ibeas sita erat in dioecesi Burgensi, in Hispania. Anno 1497, abbas ibidem erat Iohannes de Arciniega. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, pp. 265-268.

cum ordine per fratrem Clementem suum procuratorem a tribus annis eidem procurando, quod nisi solvant contributiones per eum et suos coabbates debitas secundum compositionem praeallegatam, Capitulum revocabit commissionem sibi datam.

Item quod fiat commissio data anno praeterito Domino Vallis-Christianae [17]) ad levandas gratiosas propinas super beneficiatis Ordinis, pro impetrando confirmationem Bullae super facto Ecclesiarum parochialium ab Urbano papa remaneant in suo rigore.

Litterae orationum.

Item annuit Capitulum praesens litteris orationum pro quamplurimis militibus et aliis personis multis in schedula praesentata calamo praescripta.

Item pro Iacobo du Viviers, Domino de Susanna et Ponceta eius conthorali et eorum liberis.

Item litterae pro Maria genetrice abbatis de Carthovoro [18]), relicta nobilis viri Ioannis de Launoij defuncti.

Item pro Ioanne de Franymille, Maria de Bargen et Reginalda, eius conthoralibus et eorum liberis.

Item pro Petro du Bargimont, scutifero et Bonae eius conthorali cum suis liberis.

Item pro Domino Galtero de Bossu et eius conthorali, ad instantiam Abbatis Vallis Christianae [19]).

Item pro Anthonio de Uarmaise, Domino de Noijers et de Lombus et eius conthorali cum liberis eorum.

Item pro confratribus B. Mariae Virginis in Ecclesia de Moncellis [20]) veteribus et eorum benefactoribus.

Item pro Carolo Ruffi de Calinato, Simone Ruffi, Guillielma suo conthorali et eorum liberis.

Item pro omnibus et singulis emergentibus seu occurrentibus propter quae Generale Capitulum futurum non potest commode

[17]) Vallis Christiana (seu Valchrétien), in diocesi Suessionensi. Anno 1497, abbas ibidem erat Benedictus de Corbie. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 533 s.

[18]) Carthovorum, seu Chartreuve, in dioecesi Suessionensi. Abbas anno 1497 erat, uti videtur, Simon Aubert. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 493-495.

[19]) Vallis Christiana. Vide n. 17.

[20]) Moncellum seu Moncetz in dioecesi Catalaunensi (Châlons-sur-Marne). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 516-518.

exspectari sicut pluribus annis praeteritis factum extitit, ordinat Capitulum praesens quod Dominus Praemonstratensis cum Patribus Abbatibus, et aliis quos voluerit secum vocare, habent seu habeant potestatem praesentis Capituli Generalis definiendi, concedendi et omnimodo determinandi de eis et si necessaria fuerint, sigillo Generalis Capituli sigillando.

Visitatores anni XVIJ praesentis.

Franciae Floreffiae Brabantiae Flandriae Lotharingiae	Dominus Praemonstratensis reservat pro se.
Pontivi Normanniae	Abbas de Brana [21]).
Burgundiae Alverniae Subaudiae	Clarifontis [22]).

Guasconiae : Casae Dei [23]) ad triennium.

Hispaniae provisum est usque ad revocationem.

Sueviae : Sorettensis Abbas [24]) pro isto anno et sequenti.

Bavariae : Clarifontis.

Angliae et Scotiae provisum est usque ad triennium.

Daciae et Norvegiae, provisum est usque ad revocationem.

Hungariae, Austriae, Poloniae, Bohemiae, Tusciae, Calabriae, et terrae Ierosolimitanae : Praepositus domus Dei in Vratislaviae dioecesi ad biennium.

Frisiae : Abbas Parcensis [25]) pro isto anno cum praedicta substitutione.

[21]) Abbas Branensis tunc erat Iohannes Le Febvre. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 487.

[22]) Abbas Clari Fontis, seu Claire-Fontaine (in dioecesi Suessionensi) tunc erat Iohannes quidam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 372.

[23]) Abbas Casae Dei, seu Chateau-Dieu, in dioecesi (nunc) Cameracensi, tunc erat Iohannes Gourdin. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 407.

[24]) Abbas Sorethensis (seu: Schussenried, nunc: in dioecesi Rottenburgensi) tunc erat Henricus Oesterreicher. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 84.

[25]) Abbas Parcencis tunc erat Arnoldus Weyten. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 321.

Wadegotiae et Iveldiae : Abbas Veldensis [26]) cum praeposito antiquo Laurissensi [27]).

114

1498

Acta huius Capituli Generalis, celebrati in abbatia S. Martini Laudunensis, inde a die 13a Maii, completa prostant. Et quidem, paucissimis exceptis, eodem modo in variis manuscriptis nobis notis. Primo quidem in *ms. Laon 538*, foll. 22-25 ; in ms. *Arch. Abb. Averbodiensis, sec. IV, 173*, foll. 108 v° - 119 v° ; in ms. asservato in Curia Generalia Ordinis, Romae. Fragmenta pauca etiam habentur in *ms. Nancy 994*, fol. 14 v°. In his fragmentis, praescripta ista duo referuntur : Praecipit Capitulum ut omnes religiosi in dormitorio cubent cameris apertis. — Parochi sive curati maneant in septis beneficiorum.

Acta et Decreta huius Capituli legi possunt in *Anal. Praem.*, XV, 1939, pp. 31-41, in E. VALVEKENS, *Textes relatifs à la réforme des statuts prémontrés en 1505* : l. c. ; pp. 25-41. Plura de hoc Capitulo similiter tractantur in E. VALVEKENS, *Le Chapitre Général de Prémontré et les nouveaux Statuts de 1505*, in *Anal. Praem.*, XIV, 1938, pp. 53-94 ; in specie de Capitulo anni 1498 : pp. 62-66.

Quamvis Acta huius Capituli iam publicati fuerint in *Anal. Praem.*, non inutile fore iudicavimus, illa rursus hic edere, moti adagio notissimo : Colligite fragmenta, ne pereant.

1. Die 1 aprilis 1497, misit Abbas generalis, Iohannes de l'Escluse [1]), litteras Abbatibus variarum Circariarum, relate ad articulos

[26]) Abbas Ilfeldensis (nunc: dioecesis Hildesheimensis) tunc erat Bernardus Schubuus. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 129.

[27]) Laurisse. Cfr. supra, n. 8, p. 167.

[1]) Cum abbas generalis, Hubertus de Monthermé, obierit die 17 martii 1497, et successor, Iohannes de l'Escluse, post satis longam vacationem praelaturae, versus finem anni 1497, munus suum susceperit, epistola missa, de qua hic agitur, ab hoc abbate Iohanne mitti non potuit die 1 Aprilis 1497. Eo vel magis quod antequam epistolam miserit ad Regem accedere debuerit. Videtur ergo die Voecht, scriptorem copiae hic editae, errorem commisisse; et loco 1 aprilis 1487, legendum esse: 1 aprilis 1498. — Capitulum generale anni 1498 initium sumpsit die 13 Maii 1498.

tractandos, iussu regis Francorum. Copia huius epistolae habetur in ms. 173, Sect. IV, archivi abb. Averbodiensis. Et ita sonat :

« Haec epistola pertinet ad Articulos a Rege Francorum propositos, ratione quorum scripta est.

Ioannes, permissione divina Abbas Praemonstratensis, universis et singulis Ordinis nostri Praelatis in circariis Floreffiae, Flandriae, Brabantiae, Frisiae et Westphaliae constitutis, salutem et sinceram in Domino charitatem.

Universitati vestrae notum facimus qualiter Illustrissimus et Serenissimus Princeps et Dominus noster dominus Carolus, Dei gratia Francorum Rex christianissimus, vicibus multiplicatis nobis scripserit, mandando ut ad eum properaremus, habens aliqua pro statu seu reformatione nostri Ordinis nobis dicere ac praecipere. Tandem ex consilio venerabilium fratrum nostrorum Abbatum S. Martini et Cuissiacensis, assumpto nobiscum venerabili fratre nostro Abbate de Brana, sacrae Theologiae professore, ad ipsum non sine magnis expensis et grandi corporum vexatione transivimus. Qui nobis tradidit seu tradi fecit unum parvum rotulum, quatuor articulos continentem, volens ut in continenti pro toto Ordine nostro responderemus. Nos autem post multas praetensas excusationes, dilationem responsi usque ad futurum nostri Ordinis Generale Capitulum obtinere potuimus. Cum autem praetacti articuli, quorum copiam vobis transmittimus, concernant statum totius nostri Ordinis et legis habeat auctoritas, quod omnes tangit ab omnibus debere approbari, vosque omnes et singuli teneamini ex debito annuo Capitulo Generali Ordinis nostri interesse, nisi adsit excusatio legitima ; hinc est quod nos, timentes imminentem ruinam Ordinis nostri, quam deformitates ipsius minantur, et ideo adversus eam remedium quantum cum Deo poterimus, apponere salubre cupientes, vos omnes et singulos supradictos in praefatis Circariis constitutos monemus et hortamur per viscera Domini et Dei nostri, et nihilominus praecipimus et mandamus quatenus singulis vestrum ad nostrum proxime futurum Generale Capitulum, nisi adsit inevitabilis excusatio, venire maturetis, quatenus gratia divina vestroque consilio facientibus ad tantae Ordinis nostri ruinae obviandi remedium conveniens et opportunum apponamus ; quod cedat ad Dei gloriam, Ordinis nostri honorem, animarum nostrarum nobisque subditorum salutem ; tandem deinde facientes, quod ipse Dominus Rex noster caeterique principes catholici debeant de nobis et Ordine nostro merito esse

contenti, quodque inimici nostri non habeant amplius occasionem obloquendi de nobis.

Datum Praemonstrati, sub sigillo nostro abbatiali, die prima mensis Aprilis a° Domini 1497.

Sic signatum :

Per Dominum Abbatem,
Ioannes Hanot.

2. Acta et diffinitiones Capituli generalis Ordinis Praemonstratensis celebrati in monasterio Sancti Martini Laudunensis dioecesis decima tertia die mensis Maii et diebus sequentibus, anno Domini millesimi quadringentesimo nonagesimo octavo.

Sedente Alexandro Papa VI. Regnante Ludovico XII.
Praesidente Ioannes Desclusa, Praemons. Abbate.

Nomina Praelatorum praesentium :

Dominus Praemonstratensis [2])
Floreffiae [4])
Bonae-Spei [6])
Viconium [8])
Clarifontis [10])
Sti Martini Laudunensis [3])
Cuissiacum [5])
Parcum [7])
Furnensis [9])
Insulae-Dei [11])

[2]) Dominus Praemonstratensis seu Abbas Praemonstratensis tunc erat Iohannes de l'Escluse. Vide n. 1, p. 171.

[3]) Abbas Sti Martini Laudunensis tunc erat: Iohannes Poulaillier, abbas aa. 1485-1522. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 512.

[4]) Abbas Floreffiae erat: Iohannes Sampeyn, abbas aa. 1492-1508. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 378.

[5]) Abbas Cuissiaci (Cuissy) erat Tugdualdus de Vennes. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 498.

[6]) Abbas Bonae Spei (Bonne-Espérance), erat Nicolaus van Mierdorp. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 364.

[7]) Arnoldus Weyten. Vide supra, n. 25, p. 170.

[8]) Abbas Viconiensis (Vicoigne, prope Valenciennes) erat Ludovicus Hoston. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 437.

[9]) Abbas Furnensis erat Iohannes Buerse. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 433.

[10]) Abbas Clarifontis erat Iohannes quidam. Cfr. supra, n. 22, p. 170.

[11]) Abbas Insulae Dei (Ile-Dieu), in dioecesi Ebroicensis = Evreux) tunc erat Robertus Méhoult. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, III, p. 45.

Vallis-secretae [12])
Calvi Montis [14])
de Seriaco [16])
Iovillaris [18])
De Perrodio Novo [20])
Vallis Christianae [22])
Knechtstedensis [24])
Montis-Dei [26])
de Longo Vado [28])
Camerae Fontis [13])
Thenolium [15])
Sti Iusti [17])
Buciliensis [19])
Sti Foillani [21])
Steynveldensis [23])
Viromandensis [25])
Loci Restaurati [27])
Septem Fontium in Therascia [29])

[12]) Abbas Vallis secretae, dioecesis Suessionensis, tunc erat Iohannes Michon. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 537.

[13]) Abbas Camerae Fontis, seu Chambre-Fontaine (in dioecesi Meldensi = Meaux) erat tunc Renatus de Fontenay. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 489.

[14]) Abbas Calvi Montis, seu Chaumont (in dioecesi Rhemensi) erat tunc Petrus Frayart. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 370.

[15]) Thenolii seu Thenailles (in dioecesi Suessionensi) abbas erat tunc Iohannes Fossier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 401.

[16]) Seriaci abbas erat Iohanes Merlot. Cfr. supra, n. 12, p. 167.

[17]) Abbas Sti Iusti (St. Just-en-Chaussée) (in dioec. Bellovacensi = Beauvaux) erat tunc Iohannes Cordier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 565.

[18]) Abbas Iovillaris, seu Jovilliers, in dioecesi Virdunensi, erat, uti videtur, Bernardus du Pont. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 80.

[19]) Abbas Buciliensis, seu Bucilly, in dioecesi Suessionensis, erat tunc Gerardus Ogier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 366.

[20]) Abbas Perrodii Novi, seu Le Perray-Neuf erat Thomas de l'Escluse. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 30.

[21]) Abbas Sti Foillani (dioec. Tornacensis) erat tunc Gasparus de Plicinier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 397.

[22]) Benedictus de Corvie. Cfr. n. 17, p. 169.

[23]) Steinfeldensis abbas erat Iohannes IV de Buren. Cfr. supra n. 4, p. 166.

[24]) Abbas Knechtstedensis, in dioecesi Coloniensi, tunc erat Gerardus von Heze. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 177.

[25]) Viromandium,seu Vermand, in dioecesi Suessionensi, tunc uti abbatem habebat Iohannem quemdam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 427.

[26]) Abbas Montis Dei, seu Mondaye, in dioecesi tunc Lixoviensi (Lisieux), nunc Baiocensi (Bayeux), tunc erat Aegidius l'Ours. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 48.

[27]) Locus Restauratus, seu Lieu-Restauré, in dioecesi Bellovacensi, uti abbatem tunc habebat Petrus de Haultdecour. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 515.

[28]) Abbas Longi Vadi, seu Longwé, in dioecesi Remensi, tunc erat ? Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 391. In *Gallia Christiana*, IX, Parisiis, 1751, col. 331, legimus anno 1504, abbatem Longi Vadi, Antonium Charlier ab abbate Praemonstratensi fuisse deputatum ut praesideret electioni abbatis Bellae Vallis.

[29]) Abbas Septem Fontium in Therascia, seu Septfontaines-en-Thiérache, in dioecesi Remensi, tunc erat Adam Cornu. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 399.

Vallis Dei [30])
Regiae Vallis [32])
de Marchasii Radulphi [34])
de Moncellis [36])
Mons Sancti Martini [38])
De Stella [40])
Gaudii-Vallis [42])
Sti Andreae in Nemore [44])
Sti Martini Altissiodorensis [46])
Sti Petri Selincurtensis [31])
Ianduriarum [33])
de Ressonio [35])
Albae Curiae [37])
Sti Ioannis Ambianensis [39])
Vallis-Serenae [41])
De Brana [43])
Carthovori [45])

[30]) Abbas Vallis Dei, seu Lavaldieu, in dioecesi Remensi, tunc erat Iohannes Tolman. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 385.

[31]) Abbas ille erat Guilielmus Matifas. Cfr. supra, n. 13, p. 167.

[32]) Reginae Vallis seu Rengéval, in dioecesi Virdunensi, tunc erat Desiderius de Jouy. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 98.

[33]) Abbas Ianduriarum seu Jandeures, in dioecesi Virdunensi, tunc erat Franciscus de Contrisson. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 77.

[34]) Marchasii Radulphi, seu Marcheroux, in dioecesi Bellovacensi, tunc erat Iohannes de Quenouilles. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 559.

[35]) Abbas Ressonensis, seu Ressons, in dioecesi, nunc Bellovacensi, tunc Rothomagensi = Rouen, erat Iohannes de Quenouilles, simul abbas Marchasii Radulphi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 561.

[36]) Abbas Moncellis, seu Moncetz, in dioecesi Catalaunonensis (Châlons-sur-Marne), tunc erat Petrus Brunet. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 517.

[37]) Abbas Albae Curiae, seu Abbecourt, in dioecesi, nunc Versaliensi, tunc Carnutensi = Chartres, erat, iuxta N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 543, Petrus Carré, O. Praem.

[38]) Mons Sancti Martini, in dioecesi, nunc Suessionensi, abbas tunc erat Iohannes de l'Escluse, qui a. 1497, insuper electus est abbas Praemonstrati. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, 420.

[39]) Abbas Sti Iohannis Ambianensis: Guilielmus de Montesson. Cfr. n. 11, p. 167.

[40]) Abbas de Stella, seu l'Etoile, in dioecesi Carnutensi, seu Chartres, erat tunc Iohannes de Montesson. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 23.

[41]) Vallis serenae seu Valséry, in dioecesi Suessionensi, abbas tunc erat Iohannes Michon. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 537.

[42]) Abbas Gaudii Valli, seu Joyenval, in dioecesi, nunc, Versaliensi, tunc Carnutensi, erat Iacobus du Moulin. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 556.

[43]) Iohannes le Febvre. Cfr. supra, n. 21, p. 170.

[44]) Abbas Sti Andreae in Nemore, in dioecesi Atrebatensi, tunc erat Sigerus le Maistre. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 564.

[45]) Abbas Carthovorensis, seu Chartreuve, in dioecesi Suessionensi, tunc erat Rudolphus de Lannoy. Cfr. *Gallia Christiana*, t. IX, Parisiis, 1751, col. 484.

[46]) Abbas S. Martini Altissiodorensis, seu S. Marien d'Auxerre, in dioecesi Senonensi, tunc erat Nicolaus Joannis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 477.

Quam plures per litteras executorias et procuratores comparuerunt. Subscripti praestiterunt obedientiam manualem [47]).

Steynveldensis
Knechtstedensis
Parcensis
Sti Foillani
Sti Iusti
Clari Fontis
Furnensis
Sti Andreae in Nemore
Sti Petri Selincurtensis
Gaudii Vallis
Albae Curiae.

In primis ordinatum est quod omnes Praelati hac vice erunt definitores.

Item, Missas celebrari consuetas : primum Steynveldensis, secundam Knechtstedensis, et tertiam Parcensis monasteriorum abbates celebrabunt.

Item, Calvimontis et Thenoliensis monasteriorum abbates regent chorum.

Item, receptores talliarum erunt Vallis christianae et Carthovorensis abbates.

Item, excusationes abbatum recipient Parcensis et Bonae Spei abbates.

Item, litteras missivas a quibuscumque in praesenti Capitulo recipient, videbunt, examinabunt et diffinitoribus praesentis Capituli referent S. Evodii de Brana, Viconiensis et S. Ioannis Ambianensis, Furnensis et Clarifontis Abbates.

Item, litteras sigillo Generalis Capituli sigillandas examinabunt et sigillabunt Patres Abbates cum his, quos voluerint, convocare.

Item, auditores computorum erunt Patres, et hi qui voluerint interesse.

Item, praecipitur universis et singulis tam praelatis quam religiosis quod intersint Missis praelatorum a principio usque ad finem et observent silentium in Ecclesia et claustro, sub poenis in Statutis contentis.

Item, Capitulum admittit magistrum Ioannem Perrachel, notarium apostolicum, in notarium Ordinis sub stipendiis consuetis, revocando litteras magistro Cassiano Bevere [48]) alias super dicto officio concessas ; quique notarius iuravit in presentia Capituli exercere

[47]) Illi Abbates qui pro prima vice Capitulo Generali aderant obedientiam, de qua hic, praestare debebant.

[48]) Magister Bevere, de quo in praesenti, usque ad revocationem in notarium Ordinis assumptus fuit in Capitulo Generali anni 1497. Cfr. supra, p. 165.

fideliter dictum officium notariatus ad honorem et utilitatem nostri Ordinis secundum suum posse nec aliquas litteras signare, quae possint in detrimentum Ordinis redundare.

Item, ordinat Capitulum quod omnes praelati tenebuntur comparere annuatim in Capitulo Generali, demptis remotioribus, cum quibus aliis dispensatum fuit per Capitulum Generale, et aliis non valentibus comparare ; qui tamen, in casu legitimi impedimenti, teneantur mittere nuntium sive procuratorem cum sufficienti mandato iurandi in animam mittentis quod excusatio in litteris contenta sit legitima et vera ; alioquin tenebuntur solvere ad utilitatem Capituli Generalis tantam summam pecuniae, quantam expenderent veniendo ad illud Capitulum et recedendo.

Item, ordinat Capitulum quod in quolibet monasterio Ordinis nostri fiat unum servitium solemne pro salute animae piae memoriae D. Huberti, Abbatis Praemonstratensis defuncti [49]).

Item, Capitulum absolvit modernum abbatem Steynveldensem a visitatione Capituli Generalis ratione sevitii sui et invalitudinis corporalis.

Item, super supplicatione D. Praemonstratensis, requirentis habere caritativum subsidium ab Ordine pro sublevamine expensarum, quas sustinuit pro obtinenda a summo Pontifice confirmatione suae electionis, Capitulum praesens dedit ei unam talliam levandam infra biennium et unam gratiosam contributionem super curatis, quos praelati taxabunt secundum valorem suorum beneficiorum.

Item, ordinat Capitulum praesens ut frater Thomas de Lescluze [50]), religiosus monasterii Viromandensis, sit Prior nostri Collegii Parisiensis et ipsum ex nunc constituit in Priorem dicti collegii, cum stipendiis consuetis ; quique praestitit coram Capitulo iuramentum solitum.

Item, Capitulum restituit vocem, stallum et velum sorori Agneti de Tuyl, moniali monasterii Sinus S. Mariae [51]), et quod de eo fiat commissio Abbati Bernensi.

Item, annuit Capitulum praesens quod litterae datae magistro

[49]) Hubertus de Monthermé, abbas Generalis Ordinis, defunctus erat a. 1497.

[50]) Thomas de l'Escluse, frater abbatis Generalis, simul cum Abbate Generali, visitationes canonicas plurium monasteriorum fecit. Postea factus est abbas S. Iohannis Ambianensis.

[51]) Asceterium Sinus S. Mariae, seu Zennewijnen, situm erat in dioecesi Ultraiectensi, in Neerlandia. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 338.

Ioanni Pinchon a piae memoriae Domino Huberto [52]), Abbate Praemonstratensi, et toto conventu dicti monasterii super bonis domus de Vano per ipsius Capituli sigillum confirmentur.

Item, quod fiat missiva Domino Comiti Palatino, regratiando ipsum de bono zelo quem habet ad reformandum monasteria in suis dominiis constituta, significativa quomodo Capitulum praesens condescendendo suis piissimis requisitionibus, ordinavit commissiones per ipsum requisitas abbatibus per eum nominatis, videlicet visitationem Laurissensis monasterii [53]), Maguntinensis dioecesis, Praeposito S. Mariae Magdeburgensis ; similiter visitationem Circariae Wadegotiae et Yveldiae abbati Cappellensi [54]) et Praeposito Laurissensi [55]), Maguntinensis dioecesis supposito, quatenus dignetur habere Ordinem nostrum et commissarios praedesignatos in Domino recommendatos.

Item, similiter fiat missiva Domino Archiepiscopo Coloniensi [56]), significando si, quomodo, annuendo suis litteris gratiosis, Capitulum praesens constituit praelatos per ipsum requisitos, videlicet Praepositum Magdeburgensem [57]), et dominos abbates Steynveldensem et Knechtstedensem [58]) in visitatores circariarum Westphaliae et Saxoniae, supplicando ut dignetur ipsos habere in facto reformationis per eosdem faciendae recommendatos.

Item, similiter alia missiva gratiosa eidem Domino Archiepiscopo Coloniensi, eidem humiliter supplicando quatenus dignetur restituere Ordini nostro monasterium de Capella iuxta Coloniam [59]),

[52]) Hubertus de Monthermé, abbas generalis, defunctus a. 1497.

[53]) De Laurissa, n. 8, p. 167.

[54]) Abbas Capellensis, seu Spieskapel, in dioecesi, nunc Fuldensi, tunc erat Iohannes Zuttel. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 135.

[55]) Praepositus Lauressensis tunc erat, uti videtur, Lucas quidam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 108.

[56]) Archiepiscopus Coloniensis erat Hermannus de Hessen (aa. 1480-1508). Cfr. A. FRANZEN, art. *Cologne* in *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie Ecclésiastiques*, t. XIII (1156), col. 294.

[57]) Praepositura S. Mariae Magdeburgensis in civitate eiusdem nominis, cuius S. Norbertus, fundator Ordinis, archiepiscopus fuit. Praepositus a. 1498 erat Henricus Stott. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 235.

[58]) Abbatia Knechtstedensis sita erat in dioecesi Coloniensi. A. 1498, abbas ibidem erat Nicolaus Hüls. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 177.

[59]) Monasterium istud, Schillingskapellen, ab archiepiscopo Coloniensi, Theodorico de Moers, datum erat, reformationis causa, canonissis O.S.A. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 192.

per suum praedecessorem ab Ordine nostro alienatum, et faciat sorores monasterii Ulinckhuysen (Oelinghausen) [60]) prope oppidum Weinsberch deferre habitum nostri Ordinis et observare tria religionis essentialia vota.

Item, Capitulum constituit abbatem Osterhoviensem [61]), in visitatorem Bavariae.

Item, fiat specialis littera, quomodo Capitulum ratificet omnia agitata per abbatem monasterii Milovicensem [62]), Patrem Abbatem monasterii Plagensis [63]), in depositione Domini Waldrici [64]), quondam Praepositi in monasterio Plagensi, et quod carceri mancipetur donec et quousque sibi visum fuerit necessarium quod ipse Waldricus deterius non committat.

Item, Capitulum annuit supplicationi Domini S. Martini Laudunensis [65]), et sui conventus, videlicet ut annue possint cantare de Beato Nicolao et S. Catharina hymnum proprium et de S. Barbara propriam sequentiam.

Item, Capitulum remittit Abbati de Genliaco [66]), talliam sui monasterii usque ad viginti annos, et una cum hoc recipiet pro isto anno de Capitulo decem libras Turonenses et similiter in anno futuro adhuc decem libras Turonenses pro refusione expensarum

[60]) Monasterium istud, situm in dioecesi, nunc, Paderbornensi, suppressum fuit a. 1804. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 183 s.

[61]) Abbatia Osterhoviensis, in dioecesi Passaviensi, tunc regebatur ab abbate Georgio Hölzl. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 45.

[62]) Abbatia Milovicensis, seu Milevsko, in hodierna Tchecho-Slovakia, in dioec. Budvicensi, tunc regebatur a Bartholomaeo quodam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 302.

[63]) Abbatia Plagensis, seu Schlägl, ad nostros usque dies florens, in Austria Superiori, in dioecesi, nunc, Linciensi = Linz, tunc regebatur ab abbate Iohanne Grösshaupt. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 310.

[64]) De hoc Walderico (qui a BACKMUND, Monasticon, I, p. 310, vocatur Ulrich), seu Udalrico, scribit C. L. HUGO, *Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 563: « Udalricus II. a Caesareis Commissariis per vim intrusus, suae conditionis immemor, et ad quaevis, in dedecus suae dignitatis, audendum pronior, fratres tyrannico more opprimit, bona oppignorat, vendit, dilapidat: querulosi fratrum gemitus ad Caesarem pertingunt; ad Patrem Abbatem Caesaris mandata de amovendo praedone diriguntur, et protinus iudiciali Decreto ab usurpata sede pellitur Udalricus, perpetuo carceri, criminis poenas luiturus, mancipatur anno latrocinii sui tertio, 1493 ».

[65]) Vide supra, n. 3, p. 173.

[66]) Genliacum, seu Genlis, situm erat in dioecesi, nunc, Suessionensi. Abbas tunc erat Iacobus le Pelletier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 504.

et damnorum quae sustinuit in prosecutione processus contra Officialem Noviomensem occasione fratris Petri Cuffet, religiosi sui curati alterius portionis ecclesiae parochialis de Genliaco.

Item, fiat missiva Priori et conventui monasterii Iettensis [67]), significativa quod frater Iacobus Traburguier, religiosus dicti loci, resignavit sigillum dicti monasterii ipsi Capitulo ; quod datum fuit sub custodia Abbatis Parcensis usque ad adventum Domini Praemonstratensis in illas partes.

Item, Capitulum annuit quod litterae traditionis unius portionis Collegii nostri Parisiensis, factae per Dominum Hubertum, piae memoriae Abbatem Praemonstratensem [68]), venerabili viro Iohanni Guibart, nomine Capituli Generalis, confirmentur et una cum hoc quod anni in quibus idem Goubart tenebatur ibidem certas reparationes, prolongentur ad duos annos incipientes a cessione praesentis Capituli, hoc proviso quod dictus Guibart tenebatur dare sufficientem cautionem apud Parisienses faciendi dictas reparationes, quoad tempus confirmetur.

Item, quod fiat specialis commissio Abbati de Moncellis [69]) ad citandum coram se Abbatem de Stagno [70]), ad requestam fratris Henriquini de Campis, religiosi monasterii S. Pauli Virdunensis, et faciendum partibus iustitiae complementum.

Item, quod fiat missiva Reverendissimo Domino Archiepiscopo Ragusino regratiatoria de beneficiis per eum Ordini impensis tempore Domini Iohannis Bourse, sicut ipse Iohannes retulit coram Capitulo Generali [71]), eidem humiliter supplicando quatenus dignetur continuare bonum zelum quem habet ad Ordinem nostrum, sibi significando quomodo recompensationem Ordini possibilem, videlicet litteras orationum suae Paternitati benigne transmittit.

Item, pari modo fiat missiva honorabili viro Domino Ioanni Milis (ms. Laon 538, p. 538, habet : Merlis), moranti in Curia Romana, ad eumdem finem sicut prius ».

In ms. Laon 538, deinde haec habetur propositio, quae non

[67]) Monasterium Iettense, seu Diligemense, situm erat ad portas civitatis Bruxellensis. Abbas tunc erat Livinus van Coudenberghe. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 283.

[68]) Hubertus est Hubertus de Monthermé, defunctus a. 1497.

[69]) De abbate Moncellis, cfr. supra, n. 36, p. 175.

[70]) Abbas Stagni, seu l'Etanche, in dioecesi Virdunensis, tunc erat Iohannes Damel. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 67.

[71]) Iohannes Bourse idem est ac abbas Buerse, Furnensis abbas aa. 1494-1512.

legitur in ms. Averbodiensi dicto : « Item, Capitulum ordinat quod frater Rasso, Religiosus monasterii Floreffiensis propter homicidium per eum commissum in personam fratris Wilhelmi, etiam Religiosi dicti loci, carceri pepetuo mancipetur cum pane doloris et aqua tristitiae, saltem donec impetraverit super dicto homicidio dispensationem a supremo Pontifice.

Litterae orationum.

Item, quod fiant litterae orationum pro Domino Ludovico Rolin, Domino de Emeryre milite, et Domina Aegidia de Oerlamont sua conthorali, ad requestam Domini Viconiensis [72]).

Item, similiter pro D. Ioanne de Lannoy, domino de Mergival, et domina Philippa de Lalain, eius conthorali.

Item, pro D. Ioanne Garnier, canonico et thesaurario ecclesiae Altissiodorensis, ad requestam abbatis S. Mariani [73]).

Item, pro D. Adriano de Poytiers, praeposito in ecclesia Insulensi, et praeposito ecclesiae S. Walburgis Furnensis et pro domina Leonora de Poytiers, vicecomitissa Furnensi.

Item, pro Reverendissimo D. Ioanne, archiepiscopo Ragusino, SS. Domini nostri Papae referendario domestico.

Item, fiat littera orationum pro nobili viro Domino Adriano de Poytiers et eius uxore.

Item, pro D. Ioanne Milis, in Romana Curia commorante, praeposito S. Pharaildis Gandensis.

Item, pro honesto viro Ioanne Dennet et eius conthorali, necnon et aliis competitoriis eius, temporalibus dominis de Mesbrecourt.

Item, pro benefactoribus confraternitatis D. Lachrimae Domini nostri Iesu Christi in ecclesia S. Petri Selincurtensis fundatae.

Item, pro domicella Catharina de Mettes, Domina de Pouilli.

Item, pro Domino Simone Sampeyn, presbytero, fratre Domini Floreffiensis [74]).

Item, pro magistro Ioanne Winckel, et eius conthorali ac liberis in Lovanio commorantibus.

Item, pro Domino Ludovico de Viridi Valle, canonico S. Petri Lovaniensis.

[72]) Abbas Viconiensis tunc erat Ludovicus Hoston. Cfr. supra, n. 8, p. 173.

[73]) Abbas S. Mariani Altissiodorensis (Auxerre) erat Nicolaus Joannis. Cfr. supra, n. 46.

[74]) Iohannes Sampeyn. Vide, supra, n. 4, p. 173.

Item, pro matre, fratribus et sororibus carnalibus D. Parcensis [75]).

Item, pro Domino Ioanne de Harssillemont, domino temporali de Coppines, et Maria eius conthorali.

Item, pro D. Renato de Laval, domino temporali de Bosco Delphino, et Domina de Beaune, eius conthorali, ad requestam Abbatis de Stella [76]).

Item, Capitulum admittit Dolinum Cosmam Guymner in advocatum Ordinis in Curia Parlamenti sub stipendiis consuetis Parisiis.

Item, quod fiat commissio Abbatibus Buciliensi [77]) et Thenoliensi [78]) ad visitandum monasterium Clarifontis [79]) et religiosos dissolutos viriliter puniendum.

Item, quod fiat commissio Abbatibus S. Petri Selincurtensis [80]) et Gaudii Vallis [81]) et assumpto secum notario apostolico ad visitandum et reformandum monasterium de Perrodio novo [82]) in Capite et membris ; et, si invenerint aliquos religiosos fuisse aut esse percussores et portare cultellos acutos ad nocendum sive apostatas aut irregulares aut inobedientes ordinationibus Domini Cuissiacensis, dicti loci ultimi visitatoris, quod ipsos per carcerem viriliter puniant aut invocato ad hoc brachio saeculari.

Item, Capitulum condemnat modernum Abbatem de Marchasio Radulphi [83]), ad solvendum fratri Roberto Wautier infra festum Pentecostes duo scuta aurea cum medietate unius modii cum dimidio bladi, et inter festum Omnium Sanctorum alia duo scuta cum residuo unius modii cum dimidio bladi.

Item, Capitulum constituit et recipit D. Matthaeum Larchier in procuratorem Ordinis in Curia D. Episcopi Laudunensis, sub stipendio xl. solidorum Parisiensium.

Item, Capitulum condemnat modernum Abbatem monasterii Clarifontis ad solvendam fratri Petro de Namur, religioso monas-

[75]) Arnoldus Weyten. Cfr. supra, n. 7, p. 173.

[76]) Iohannes de Montesson. Cfr. supra, n. 40, p. 175.

[77]) Gerardus Ogier. Cfr. n. 19, p. 174.

[78]) Iacobus du Moulin. Cfr. supra, n. 42, p. 175.

[79]) Clarus Fons, seu Clairefontaine, in dioecesi, nunc, Suessionensi. Abbas ibidem tunc erat Iohannes quidam. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 372.

[80]) Guilielmus Matifas. Cfr. supra, n. 31, p. 175.

[81]) Iacobus du Moulin. Cfr. supra, n. 42, p. 175.

[82]) Thomas de l'Escluse. Cfr. supra, n. 20, p. 174.

[83]) Abbas iste erat Iohannes de Quenouilles. Cfr. supra, n. 34, p. 175.

terii Vallis Dei, pensionem assignatam eidem de Namur et per eumdem Abbatem solvi promissum ratione cessionis iuris quod ipse de Namur praetendebat ad abbatialem dignitatem dicti monasterii Clarifontis.

Item, ut Christianissimus Dominus noster Rex de nobis merito debeat contentari, ordinat Capitulum quod singuli Praelati cogant efficaciter suos religiosos ad observandum quatuor articulos, ex parte ipsius Regis Domino Praemonstratensi traditos et exhibitos.

Sequitur copia Articulorum.

Haec sunt verba per aequissimum iudicem Cancellarium Franciae dignissimum Reverendissimo Domino Praemonstratensi in concilio proposita.

Cum Regia Maiestas nihil magis praeter salutem animae suae quam pacem et prosperitatem sui regni desideret, quae nullo modo sine devotis precibus contemplativorum haberi possunt, sicut Moyses in monte precibus contra inimicum cum Iosue dimicando decertabat et cessantibus precibus inimici superabant : sic noster Christianissimus Francorum Rex precibus vestris iuvari cupit. Proinde. ad reformationem Ordinis Praemonstratensis et omnium religiosorum anhelat. Haec sunt principaliora puncta reformationis, in quibus religiosi plerumque aberrant :

Primo, intendit Rex ut religiosi Ordinis Praemonstratensis iuxta suae Regulae statuta obedientius et in arctiori ac strictiori claustri custodia quam priscis annis religiose vitam degant devotissimam ; apostatae, fugitivi, appellatione postposita, carceribus mancipentur, puniendi et Abbatibus regia Maiestas indubie manus porriget adiutrices.

Item, secundo, hic iacet magna deformitas. Honeste et caste vivant religiosi vestri, nullo modo illecebris operam dantes, sic quidem quod nullae suspectae mulieres intrent eorum officinas, cum eis minime habeant aliquod commercium dormiantque cameris apertis vinumque in monasterio non vendant neque curati religiosi sub poena privationis beneficiorum loca non discurrant maneantque apud ipsos contemplationi vacantes.

Item tertio, intendit Rex specialissime ut omnia sint communia, iuxta Ordinis vestri professionem communiter vivendo deponantque fratres omnem pecuniam suam ex industria aut beneficio acquisitam ter in anno penes Praelatum largiturum unicuique secundum quod

cuique opus erat. Abbates vero statum ecclesiae suae Patribus Abbatibus aut visitatoribus semel in anno ostendent et quidem diligentissimam de spiritualibus et temporalibus rationem reddituri : negligentes et dilapidatores deponantur, maneantque cum suis religiosis sub poena privationis, Deo devotissime servientes.

Item, quarto, intendit Rex ut non tam indifferenter et communiter fratres vescantur carnibus sed vivant secundum primaevam Ordinis institutionem si fieri possit, illud tamen arbitrio praelatorum pro locorum et temporum opportunitate et necessitate relinquendum est, et generaliter vult omnia alia statuta per vos et religiosos vestros inviolabiliter observari. Et si hoc feceritis, rem Deo gratam et regi gratissimam facietis. Sin non, per alios alterius vocationis fiet, prout ius dictabit, et ratio suadebit.

Item, Capitulum dat licentiam Abbati de Monte Dei [84]), quod possit impetrare mandatum regium ad capiendum omnes religiosos nostri Ordinis apostatas in Ducatu Normanniae, et ipsos incarcerandos, ita tamen quod reddat Ordinem indemnem et fiat missiva seneschallo Normanniae ut dignetur apponere et infigere dicto mandato suam infixionem.

Item, Capitulum praesens ordinat quod fiat missiva Domino temporali de Roeuver, fundatori monasterii S. Andreae in Nemore, quatenus dignetur contentari de punitione facta et benigniter sublata per fratres Balduinum de Misel, Petrum de Wercin et Philippum Clerici in monasteriis Praemonstratensibus S. Martini Laudunensis et Cuissiacensi, hoc adiecto quod si eos recidivare contigerit, Ordo eos taliter puniet quod caeteris cedet in exemplum.

Item, quod per aliam missivam praecipiatur Abbati dicti monasterii quatenus eos recipiat cum conditione quod, si recidivent, eos puniat de omnibus praeteritis excessibus.

Item, ordinat Capitulum quod processus intentus inter fratrem Michaelem de Solemsines et fratrem Iohannem de Montesson, religiosum monasterii de Stella, Ordinis nostri, pendens in Curia Parlamenti super iure abbatialis dignitatis per quemlibet eorum praetensae [85]) in monasterio de Perrodio Novo, habita licentia ab ipsa Curia ponatur in manus quatuor consulum regiorum ecclesiasticorum electorum per Dominus Praemonstratensem, qui auctoritate Ordinis

[84]) Aegidius l'Ours. Cfr. supra, n. 26, p. 174.

[85]) Iuxta N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 30, Michael de Solemnes et non de Montesson, abbas erat in abbatia de Stella.

habeant potestatem omnimodam determinandi dictum processum usque ad sententiam diffinitivam inclusive, adiuncto secum Domino Praemonstratensi cum uno alio Praelato Ordinis, quem sibi placuerit convocare, et tenebuntur partes tenere sententiam ipsorum tamquam arrestum Parlamenti sub poena 500 scutorum auri applicandorum pro medietate ad utilitatem Ordinis et pro alia medietate parti servanti sententiam.

Item, Dominus Praemonstratensis restituit moderno Abbati S. Ioannis Ambianensis [86]) ius paternitatis monasterii de Ressonio, de quo fuerat suus praedecessor privatus.

Item, remittit Clarifontis medietatem suae talliae usque ad decem annos propter paupertatem.

Item, Capitulum confirmat contractum initum inter Dominum Stephanum de Mes, olim Abbatem S. Foillani [87]), et dominum Gasparem, modernum abbatem dicti loci [88]), secundum tenorem litterarum per dictam passatarum in manu notarii Capituli Generalis.

Item, pro omnibus emergentibus quae Generale Capitulum futurum non poterunt commode exspectare, sicut annis praeteritis factum extitit, ordinat Capitulum quod D. Praemonstratensis cum Patribus Abbatibus et aliis praelatis, quos sibi placuerit convocare, habeat seu habeant potestatem virtute praesentis Capituli definiendi, concludendi et omnimode determinandi de singulis agendis et novis, et si necessarium fuerit, sigillo Generalis Capituli sigillandi.

(In ms. Laon 538, p. 24, additur :) Item, ordinat Capitulum quod frater Richardus Talet, religiosus monasterii de Seriaco in pratis, ponatur ad carceres usque ad annum, donec recuperaverit sanitatem ; includatur in una camera, inde non exiturus.

Item, Capitulum Abbates Steynveldensem [89]) et Knechtstedensem [90]) in visitatores constituit pro circaria Westphaliae, revocando omnes litteras quibuscumque concessas, ne haberent visitationem, et quod inserantur in commissione certi articuli Capitulo praesentati et per Capitulum admissi.

[86]) S. Iohannes Ambianensis sita erat in civitate Ambianensi (Amiens).

[87]) Iuxta N. Backmund, *Monasticon*, de Mes, vel de Mers, resignavit a. 1497; R. Van Waefelghem, *Les abbés des monastères Belges de l'Ordre de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, XII, 1936, p. 124, dicit de ipso: « Etienne de Mers (1494, abdique avant juin 1497 ou en 1498 ».

[88]) Gasparus de Plicinier. Cfr. supra, n. 21, p. 174.

[89]) Iohannes IV. de Buren. Cfr. supra, n. 23, p. 174.

[90]) Gerardus von Heze. Cfr. supra, n. 24, p. 174.

Item, quod fiat quittancie plenaria Abbati Steynveldensi de omnibus retroactis annis.

Item, fiat littera testimonialis Abbati Knechtstedensi quomodo monasterium Langvadense [91]) secundum registra nostra antiqua est subiecta filialiter monasterio Knechstedensi, ordinando quod dictus Abbas gaudeat et utatur iure paternitatis in dicto monasterio, donec contrarium fuerit comprobatum coram Patribus et Capitulo Generali.

Item, Capitulum ordinat Abbatem Cappellensem [92]) et praepositum Laurissensem [93]) in visitatores circariae Wadegotiae.

Item, fiat mandatum Domino Steynveldensi ut mandet abbati Saynensi [94]) quod recipiat fratrem Ioannem de Zutphania ad suam obedientiam, et, si ipse non sit satis punitus, quod ipsum puniat secundum quantitatem seu qualitatem suorum excessuum.

Item, Capitulum creat, nominat et admittit fratrem Ioannem Gambier, religiosum monasterii de Seriaco in Pratis, baccalaureum in decretis, in Procuratorem Generalem Ordinis in Curia Romana ; qui iuravit in praesentia Capituli fideliter exequi officium Procuratoris, defendendo privilegia et libertates Ordinis contra quascumque personas iuxta suum posse, neque impetrare quicquam contra privilegia Ordinis, nec impetratis uti sine licentia Domini Praemonstratensis et Capituli Generalis.

Item, Capitulum ordinat quod in singulis commissionibus fiat clausula specialis, quomodo ordinatum et quod quodlibet monasterium solvat unam plenam talliam infra biennium ad utilitatem Domini Praemonstratensis in sublevamen pro sua confirmatione obtinenda exbursatorum et curati unam gratiosam contributionem, quam singuli Praelati imponant secundum facultates beneficiorum, et quod visitatores habeant facultatem requirendi dictas tallias et contributiones et ad hoc tam praelatos quam curatos cogendi et compellendi.

Item, concludit Capitulum quod Abbas Parcensis faciat conscribi plures copias statutorum renovatorum [95]) ad eas mittendas

[91]) Monasterium Langwadense situm erat in dioecesi Coloniensi. Suppressum fuit a. 1802. Per aliquod tempus, monasterium hoc commendatum fuerat abbatiae Heilissemensi, in Belgio situm. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 179.

[92]) Iohannes Zuttel. Cfr. supra, n. 54, p. 178.

[93]) Lucas quidam. Cfr. supra, n. 55, p. 178.

[94]) Abbatia Saynensis, sita in dioecesi Trevirensi, suppressa fuit a. 1803. Anno 1493, abbas erat Iohannes V. von Rheinberg. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 189.

[95]) Agitur de textu novorum Statutorum Ordinis nondum approbatorum. Abbas

per Circarias, ut Praelati Ordinis habeant inde hinc et Capitulum futurum spatium illa videndi et examinandi, quatenus in futuro Capitulo Generali possint ad plenum admitti et corrigi.

Item, Capitulum remittit Abbati Montis Dei [96]) medietatem talliae monasterii sui pro tribus annis praeteritis.

Visitatores anni praesentis.

Franciae, Floreffiae, Brabantiae, Flandriae, Lotharingiae, Pontivi : Dominus Praemonstratensis.

Normanniae : Cuissiacensis.

Angliae, Scottiae : Cuissiacensis et Prior Praemonstratensis.

Burgundiae, Alverniae et Sabaudiae : Abbas Sancti Mariani [97]).

Gasconiae : provisum est ad biennium.

Hispaniae : provisum est usque ad revocationem.

Frisiae : Abbas Parcensis [98]) cum potestate substituendi.

Westphaliae : Steynveldensis [99]) et Knechtstedensis [100]).

Wadegotiae et Yveldiae : Cappellensis [101]) et Praepositus Laurissensis [102]).

Hungariae, Austriae, Poloniae, Bohemiae, Moraviae, Thusciae, Siciliae, Calabriae, Cypri, et terrae Ierosolimitanae : Abbas S. Martini Laudunensis [103]) cum Priore Praemonstratensi.

Sueviae : Abbas Sorethanus [104]) pro isto anno.

Bavariae : Osterhoviensis [105]).

Daciae et Norvegiae : provisum est usque ad revocationem.

Parcensis, Weyten, curare debet ut copiae textus illius in sufficienti numero praesto sint, ita ut textus ille examinari possit a singulis Praelatis ante futurum Capitulum Generale. Statuta ista tandem parata et approbata erunt anno 1505. Cfr. E. VALVEKENS, *Le Chapitre Général et les statuts de Prémontré de 1505*, in *Anal. Praem.*, XIII, 1938, pp. 14-17.

[96]) Aegidius l'Ours. Cfr. supra, n. 26, p. 174.

[97]) Nicolaus Joannis. Cfr. supra, n. 46, p. 175.

[98]) Arnoldus Weyten. Cfr. n. 25, supra, p. 170.

[99]) Iohannes IV. de Buren. Cfr. supra, n. 23, p. 174.

[100]) Nicolaus Hüls. Cfr. supra, n. 58, p. 178.

[101]) Iohannes Zuttel. Cfr. supra, n. 54, p. 178.

[102]) Lucas. Cfr. supra, n. 55, p. 178.

[103]) Iohannes Poulaillier. Cfr. supra, n. 3, p. 173.

[104]) Henricus Oesterreicher. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 84.

[105]) Georgius Hölzl. Cfr. supra, n. 61, p. 179.

Item, Capitulum celebrabitur anno futuro, Deo propitiante, in oppido S. Quintini in Viromandia.

Auctoritate Dei omnipotentis et Sanctae Sedis Apostolicae, excommunicamus et a consortio christianorum sequestramus omnes canonicos et conversos nobis subditos proprietatem habentes, incendiarios et falsarios literarum Ordinis nostri, conspiratores, lusores deciarum et portantes cultellos acutos ad nocendum, apostatas et illos qui ad suorum mandata Praelatorum ecclesias parochiales quas tenent nolunt resignare.

Expeditis literis Ioannis Camervagnon, alias legati, pro officio nuncii Ordinis, ipse iuramentum praestitit coram Dominis Capituli Generalis et secretario iurato eiusdem Ordinis de bene et fideliter exercendo dictum officium, nihil moliendo et procurando contra Ordinem, sed iura et libertates Ordinis possetenus observabit fideliter.

Signatum per me, motarium et
secretarium Capituli,
Perrache.

(Additur in ms. Laon 538, fol. 26). Concordat cum ipsis quae Praemonstrati hac adhuc die vigesima quinta Octobris anni millesimi sexagesimi primi in Secretariatu asservantur, Actis in pergameno scriptis, et decem paginis et 1/4 comprehensis, in quibus copiam hanc posteritati consulens exscripsi. Et in fidem subscripsi :

fr. Gregorius du Crocq, Ordinis Secretarius.

Sequens deinde commissio data Abbati S. Evodii de Brana ut levet subsidium promissum Domino Praemonstratensi.

Deinde epistola Ioannis, Dei et Apostolicae Sedis gratia Praemonstratensis Ecclesiae superioris Abbatis et Generalis Reformatoris [106]) ad Ioannem Abbatem Floreffiae [107]), qua permittitur proprium confessarium eligere et committit ei omnes suam potestatem. Datum Lauduni in monasterio S. Martini, sedente ibidem Generali Capitulo 1498 ».

[106]) Iohannes de l'Escluse. Vide supra, n. 1, p. 171.
[107]) Iohannes Sampeyn. Vide supra, n. 4, p. 173.

115

1499

Ms. Laon 538, pp. 26-32 acta Capituli Generalis anni 1499 refert. Capitulum istud celebratum fuit in Sancto Quintino (Saint-Quentis), inde a die 28 Aprilis.

[26] ACTA ET DIFFINITIONES CAPITULI GENERALIS ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS,

apud Sanctum Quintinum, in domo Praemonstratensi, anno Domini millesimo nonagesimo nono, vigesima octava die mensis Aprilis et diebus sequentibus [1]).

Nomina Praelatorum hic praesentium :

Dominus Praemonstratensis [2])
Sti Martini Laudunensis [3])
Floreffiensis [4])
Cuissiacensis [5])
Clari Fontis [6])
Sti Ioannis Ambianensis [7])
Sti Andreae [8])
Sti Evodii Branensis [9])
Bonae Spei [10])
Sti Foillani [11])
Stae Mariae Viromandensis [12])
Viconiensis [13])
Gaudii Vallis [14])
de Longo Vado [15])

[1]) Non inutile erit iterum annotare scriptorem huius collectarii Actorum Capitulorum Generalium (Laon 538), fuisse negligentem in transcribendis nominibus personarum, maxime non pertinentium ad Galliam, et in numeris traditis; quod ultimum potissimum animadvertitur ubi traduntur ea quae solvi debuerunt pro variis expensis Capitulorum.

[2]) Dominus Praemonstratensis est Iohannes de l'Escluse. Cfr. n. 1, p. 171

[3]) Iohannes Poulaillier. Cfr. supra, n. 3, p. 173.

[4]) Iohannes Sampeyn. Supra, n. 4, p. 173.

[5]) Tugdualdus de Vennes. Cfr: supra n. 5, p. 173.

[6]) Iohannes quidam. Cfr. supra, n. 22, p. 173.

[7]) Guillielmus de Montesson. Cfr. supra, n. 39, p. 175.

[8]) Sigerus le Maistre. Cfr. ad supra, n. 44, p. 175.

[9]) Iohannes le Febvre. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 487.

[10]) Nicolaus van Mierdorp. Cfr. supra, n. 6, p. 173.

[11]) Gasparus de Plicinier. Cfr. supra, n. 21, p. 174.

[12]) Iohannes quidam. Cfr. supra, n. 25, p. 174.

[13]) Ludovicus Hoston. Cfr. supra, n. 8, p. 173.

[14]) Abbas Gaudii Vallis, seu Joyenval, in dioecesi, nunc Versaliensi, tunc erat Iacobus du Moulin. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 556.

[15]) Nomen huius Abbatis notum non est. Cfr. supra, n. 28, p. 174.

Calvi Montis [16])
Grimbergensis [17])
Sti Iusti [18])
Sti Mariani [19])
Praepositus de Langhen [20])
Praepositus Imberta (?)
Buciliensis [21])
Belli Loci [22])
Bellae Vallis [23])
Insulae Dei [24])
Carthovorensis [25])
Vallis Christianae [26])
Marchasii Radulphi [27])
Camerae Fontis [28])
de Seriaco [29])
S. Petri Selincurtensis [30])
Montis-Dei [31])
Septem-Fontium in Therascia [32])
Thenoliensis [33])
Regiae Vallis, in Lotharingia [34])
Ianduriarum [35])
de Ardena [36])
Salinae Vallis [37])
de Doa [38])
de Genliaco [39])

[16]) Petrus Frayart. Cfr. supra, n. 14, p. 174.

[17]) Abbas Grimbergensis tunc erat Arnoldus Persoens, abbas aa. 1489-1505. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 289.

[18]) Iohannes Cordier. Cfr. supra, n. 17, p. 174.

[19]) Rudolphus de Lannoy. Cfr. supra, n. 45, p. 175.

[20]) Agi hic videtur de praepositura Langen, sita in Frisia Orientali, in dioecesi, nunc, Monasteriensi. A. 1499, praepositus ibidem erat Iohannes van Boemel. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 206.

[21]) Gerardus Ogier. Cfr. supra, n. 19, p. 174.

[22]) Abbas Belli Loci = Beaulieu, in dioecesi Trecensi = Troyes, tunc erat Philippus Marchant, abbas aa. 1496-1514. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 483.

[23]) Abbas Bellae Vallis = Belval, in dioecesi Remensi, tunc erat Pontius Dufer. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 60.

[24]) Robertus Méhoult. Cfr. supra, n. 11, p. 173.

[25]) Rudolphus de Lannoy. Cfr. supra, n. 45, p. 175.

[26]) Benedictus de Corvie. Cfr. supra, n. 17, p. 174.

[27]) Iohannes de Quenouilles. Cfr. supra, n. 34, p. 175.

[28]) Renatus de Fontenay. Cfr. supra, n. 13, p. 174.

[29]) Iohannes Merlot. Cfr. supra, n. 12, p. 174.

[30]) Guillielmus Matifas. Cfr. supra, n. 31, p. 175.

[31]) Aegidius l'Ours. Cfr. supra, n. 26, p. 174.

[32]) Adam Cornu. Cfr. supra, n. 29, p. 174.

[33]) Iohannes Fossier. Cfr. supra, n. 15, p. 174.

[34]) Desiderius de Jouy. Cfr. supra, n. 32, p. 175.

[35]) Franciscus de Contrisson. Cfr. supra, n. 33, p. 175.

[36]) Abbatiae Ardenae = Ardenne, in dioecesi Baiocensi = Bayeux, abbas tunc erat Richardus de la Val, abbas aa. 1496-1507. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 35.

[37]) Abbatiae Salinae Vallis = Salival, in dioecesi Metensi, tunc abbas erat Iohannes Daniel, abbas aa. 1486-1500. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 107.

[38]) Abbatiae Doae = Doue, in dioecesi Podiensi = le Puy, abbas tunc erat Gullielmus de la Volpillière, abbas aa. 1487-1529. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 148.

[39]) Abbas Genliaci = Genlis, in dioecesi, nunc, Suessionensi, tunc erat Iacobus le Pelletier, abbas aa. 1496-1525. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 504.

Subscripti obedientiam praestiterunt :

Belli-Loci ; de Bella-Stella ; Bellae Vallis ; Praepositus [27] Sanctae Catharinae de Oosterhout [40]). Magister domus nostrae situatae Parisiis et nostri Ordinis [41]).

Primo ordinatum est quod omnes Praelati erunt Diffinitores.

Item, Missas celebrari consuetas, primam Dominus Bellae-Vallis ; 2da Belli-Loci ; et 3a Sti Petri Selincurtensis monasteriorum Abbates celebrabunt.

Item, regent Chorum Domini Clari-Fontis et sancti Andreae.

Item, excusationes Praelatorum recipient D. Branensis et D. Viconiensis.

Item, Talliarum receptores : D. Carthovorensis et D. Vallis Christianae.

Item, litteras sigillo Generalis Capituli sigillandas examinabunt et sigillabunt Patres-Abbates, et illi quos voluerunt convocare.

Item, auditores computorum : Patres-Abbates et qui voluerint interesse.

Item, Capitulum recepit in Notarium Ordinis Magistrum Adrianum Honguant sub stipendiis consuetis, qui praestitit iuramentum consuetum in talibus.

Item, ordinat Capitulum quod fiat missiva ad Dominum Furnensem [42]) conceptiva quod infra festum Sacramenti compareat coram Domino Praemonstratensi et Patribus Abbatibus personaliter in monasterio Sti Martini Laudunensis si possit ; sin autem mittat suum Priorem aut alium Nuntium sufficientem ad docendum praedictos Dominos Abbates quid fecerit ex commissione Domini Praemonstratensis in facto monasterii... (nomen monasterii omittitur in ms.), quatenus si opus fuerit ordinetur per eosdem Dominus quidquid fuerit faciendum.

Item, ordinat Capitulum quod citentur Religiosi Beneficiati in monasterio Everbodiensis [43]) et Tongerloensis, Sancti Michaelis [44]),

[40]) Nomen huius Praepositi non indicatur apud N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 329.

[41]) Nomen huius magistri domus non indicatur a N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 518 s. Agitur vero de Thoma de l'Escluse, fratre abbatis Generalis.

[42]) Iohannes Buerse, abbas aa. 1494-1512. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 433.

[43]) Abbas Averbodiensis tunc erat Bartholomaeus van den Valgaet, abbas aa. 1473-1501. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 273.

[44]) Abbas St. Michaelis Antverpiensis, abbatiae sitae in urbe eiusdem nomi-

Tongrelen [45]), et Parcens. [46]), comparendum personaliter coram Patribus in monasterio Sti Martini Laudunensis, quibus praefigatur terminus quadraginta dierum a die executionis, Promotori Ordinis quod iustum fuerit responsuri.

Item, ordinat Capitulum quod fiat commissio Abbatibus Clari-Fontis [47]) et Thenoliensi [48]) ad visitandum monasterium Buciliense [49]) et specialiter se informandum de vita et regimine fratris Ioannis Ambry, curati de Cusoy, et ipsum secundum exigentiam demeritorum puniendi per poenas carceris aut alias vel ipsum absolvendum, si ipsum immunem repererint, et cuilibet in solidum.

Item, super requesta facta per Dominum Viconiensem Abbatem [50]), rogantem quatenus ad solutionem certae summae pecuniarum in qua Ecclesia Ninivensis [51]) Ecclesiae Viconiensi tenetur, eadem ecclesia Ninivensis compelleretur ad solvendum, praedictus Abbas ad intercessionem praedicti Capituli pacificavit in modum qui sequitur, videlicet quod amodo dicta Ecclesia Ninivensis solvet Ecclesiae Viconiensi in quolibet anno octo libras grossorum usque ad integram solutionem summae eidem Ecclesiae Viconiensi debitam, in festo Purificationis Beatae Mariae.

Item, ordinavit Capitulum Generale quod Procurator Ordinis [52]) obtineat Privilegium in Romana Curia super esu carnium, quo de caetero possimus vesci carnibus omni tempore, exceptis [28] quartis feriis et Sabbathis a prima Dominica Adventus usque ad festum Nativitatis et a Septuagesima usque ad festum Paschae.

nis, tunc erat Iacobus van Elsacker, abbas aa. 1499-1505. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 268.

[45]) Hic rursus apparet incuria scriptoris horum Actuum, Ducrocq, in transscribendis nominibus locorum et personarum. Abbatia Tongerloensis hic bis citatur, primum sub nomine: Tongerlensis, deinde sub nomine Tongrelen. Abbas huius abbatiae tunc erat Iohannes Hamus, abbas aa. 1487-1500. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 335.

[46]) Abbas Parcensis, abbatiae sitae prope urbem Lovaniensem, tunc erat Arnoldus Weyten, abbas aa. 1494-1515. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 321.

[47]) Iohannes quidam. Cfr. supra, n. 22, p. 170.

[48]) Iohannes Fossier. Cfr. supra, n. 15, p. 174.

[49]) Abbatia Buciliensis = Bucilly, sita erat in dioecesi Suessionensi.

[50]) Ludovicus Hoston. Cfr. supra, n. 8, p. 173.

[51]) Abbas Ninoviensis = Ninove, in oppido eiusdem nominis, tunc erat Everardus van de Pardeke, abbas aa. 1499-1510. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 317.

[52]) Iuxta Ch. TAÏÉE, *Prémontré*, I, Parisiis, 1872, p. 150, procurator ille erat Fr.-J. Gambier, canonicus Seriaci. Vide p. 186.

Item, annuit Capitulum litteras orationum Ecclesiae Bellaevallis et Domino Ioanni Dangaire [53]) abbati.

Item, Capitulum revocat litteras permissionis quondam datas Religiosis et Monialibus de Bethleem [54]), ut uterentur velis albis, praecipiens ut amodo velis nigris utantur sicut Sanctimoniales nostri Ordinis hactenus uti consueverunt ; et si defecerunt in obedientia, cogantur per Censuras Ordinis per Patrem Abatem aut Visitatores.

Item, fiat responsiva Abbatibus Circariarum Westphaliae, in Wadegotia et Gueldria super prorogatione et dilatione modificationum usque ad futurum Capitulum.

Item, Capitulum praesens ordinat et assignat Priori Scholarium Parisiensium [55]) pro pensione ipsius quod ut amodo facilius vacare possit Parisiis ad negotia Ordinis exercenda, et Scholares sibi commissos regere, summam nonaginta librarum Turonensium per ipsum Capitulum realiter persolvendum ; ita tamen quod tenebitur solvere Pensionariis et Consiliariis Parisiensibus summam triginta unius librarum cum dimidia.

Item, visis litteris Domini Praepositi Selagensis [56]) ac Conventus dicti Monasterii eorum sigillis sigillatis et munitis, quibus cavetur fratrem Oswaldum Poch fuisse Diaconum et Religiosum dicti Monasterii aliquo ductum spiritu, Monasterium praedictum incendisse, et hoc inhumanum nefas perpetrasse fuisse confessum ; attenta qua confessione, matura deliberatione super hoc habita, coinvocato Iurisperitorum consilio, praesens Capitulum condemnavit et condemnat eumdem fratrem Ostwaldum ad perpetuos carceres toto tempore vitae suae in pane tristitiae et aqua doloris, salva tamen gratia Capituli Generalis.

Item, ordinat Capitulum quod in Commissionibus singulis ponatur clausula ista specialis, quod Praelati, Curati et Beneficiati renuentes solvere contributionem suorum Beneficiorum datam a

[53]) Nomen huius abbatis Dogaire non occurrit in catalogo abbatum Bellaevallis, uti refurtur apud N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 316.

[54]) Bethlehem, monasterium Monialium, situm in diocesi, nunc, Leeuwardensi, in Hollandia superiori, eversum fuit a. 1578. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, pp. 184-186.

[55]) In Capitulo Generali anni 1498, ad hoc munus designatus fuit Thomas de l'Escluse. Cfr. supra, n. 50, p. 177.

[56]) Hoc nomine designari videtur abbatia Siloensis, seu Zeliv, in hodierna Tchecho-Slovakia, in dioecesi Pragensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 320-323.

Capitulo Domino Praemonstratensi, cogantur per Visitatores vel alios ad hoc deputandos per suspensionis, interdicti et excommucationis sententias, ad solvendas praedictas tallias et contributiones per dictos Visitatores sibi impositas vel imponendas.

Item, annuit Capitulum quod fiant litterae orationum pro Reverendo Patre Episcopo Mettensi [57]) in ampliori forma ad requestam Abbatis de Stagno [58]).

Item, pariformiter annuit quod fiant litterae orationum pro Benefactoribus Capellaniae de Bella Estanette et Confratrum Confraterniae in eadem Capella de novo institutae.

Item, detur Procuratori Ordinis in Curia Romana onus impetrandi tale Privilegium pro futuro Iubilaeo pro universo Ordine nostro, quale habuimus, pro Iubilaeo praeterito, ut Religiosi sua non exeant monasteria.

[29] Item, Capitulum praesens mittit fratrem Ioannem Perree, Priorem Sancti Ioannis le Thomas [59]), Ebryocensis dioecesis, ad carcerem quousque Patres Abbates super haec quae sibi obiecta sunt advisaverint.

Fiat Commissio Abbati Knestedensi ad visitandum et reformandum monasterium Ulreesheim [60]) nostri Ordinis.

Item, ordinat Capitulum praesens quod fiant litterae orationum pro Benefactoribus Confraterniae sanctae Catharinae in Ecclesia parochiali de sancto Quintino in Viromandia [61]).

Item, Capitulum praesens condemnat fratrem Ioannem Perree, Priorem Prioratus sancti Ioannis le Thomas, Ebroycensis dioecesis [62]), ad carcerem ratione latrocinii et sacrilegii per ipsum et alios in Ecclesia et monasterio suo, quousque omnia illa quae furtive abstulerint, suo monasteria restituerint ; hoc adiecto, quod si praefatus frater et alii sui consocii aliquod coram Patribus Abbatibus

[57]) Episcopi Metensis tunc erat Henricus II, comes de Vaudémont, episcopus aa. 1484-1505. Cfr. *Gallia christiana*, t. XIII, Parisiis, 1874, col. 790 s.

[58]) Abbas Stagni = l'Etanche, in dioecesi Virdunensi, tunc erat Iohannes Damel, abbas aa. 1493-1500. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 67.

[59]) Non agitur in praesenti de Prioratu stricte dicto. St.-Jean-le-Thomas erat paroecia incorporata abbatiae Lucernae, seu La Luzerne, cuius abbas tunc erat Richardus de Laval. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, pp. 26-28.

[60]) Ulreesheim videtur identificandum cum Flaesheim, seu Ularsheim, in dioecesi, nunc, Monasteriensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 165.

[61]) Agitur de urbe Saint-Quentin, non longe a Prémontré; in hac urbe non raro celebrata fuerunt Capitula generalia.

[62]) Cfr. supra, n. 59.

vel coram Domino Praemonstratensi voluerint proponere, recipientur et audientur.

Item, Capitulum ordinat quod fiat missiva Domino Abbati de Lucerna [63]), quod provideat de Capellano vel Religioso in Ecclesia et Prioratu praefato, quousque diffinitum erit de f. Ioanne praefato.

Item, Capitulum praesens confirmat pensionem Domini Sigeri [64]), quondam Abbatis monasterii sancti Andreae in Nemore assignatam per Dominum Praemonstratensem.

Item, Capitulum praesens ordinat Abbati sancti Andreae in nemore [65]) et omnibus Ordinis nostri Praelatis, quod ubicumque frater Philippus Clerici Religiosi dicti monasterii Sti Andreae reperiatur, capiatur [30] et etiam detineatur carceribus expensis sui monasterii, quousque per Dominum Praemonstratensem aut Patres Abbates diffinitum fuerit super regimine et vita ipsius.

Item, Capitulum praesens licentiatur quod frater Paulus Kervel ponatur in monasterio de Ressonio [66]) per tres aut quatuor annos ibidem mansurus.

Item, Capitulum praesens ordinat quod citentur ad comparendum personaliter et peremptorie fratres Petrus Molle, Rollandus Pierre, Guillelmus Demportes, Philippus Guignon, Religiosi monasterii de Perrodio-Novo [67]), coram Domino Abbate sancti Martini Laudunensis ad instantiam Promotoris Ordinis, cui Domino Laudunensi ad instantiam Promotoris Ordinis causam committit Capitulum Generale.

Item, Capitulum praesens ordinat quod quaestio orta inter fratrem Ioannem Feret ex una parte et fratrem Petrum Formentis ex alia super quadam Capella Beatae Mariae de Tillart apud Compendium, terminetur de consensu partium per Venerabiles Patres Dominos Branensem et de Ressonio [68]). Super quae diffinitum est

[63]) Cfr. supra, n. 59, p. 194.

[64]) S. Andreas in Nemore = St. André-au-Bois, in dioecesi, nunc Atrebatensi. Sigerus le Maistre ibidem abbas fuerat aa. 1483-1498. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 564.

[65]) Cfr. n. praecedens 64.

[66]) Ressonium situm erat in dioecesi Rotomagensi = Rouen, nunc Bellovacensi = Beauvais.

[67]) Perrodium novum = le Perray-Neuf situm in dioecesi Andegavensi = Angers.

[68]) Abbas Branensis tunc erat Iohannes le Febvre; Ressoniensis: Iohannes de Quenouilles.

quod frater Ioannes Feret habet verum ius in capellam praefatam ; sed ratione vexationum quas sustinuit frater Petrus Formentin in negotiis istius quaestionis, frater Ioannes Feret tenebitur eidem Petro Formentin pro una vice solvere summam octo librarum Turonensium, et sic diffinitum est quod praefata capella remaneat eidem Ioanni Feret.

Item, praesens Capitulum condemnat fratrem Ioannem Carlier, Religiosum Clarifontis ad perpetuos carceres in pane tristitiae et aqua doloris et moeroris, ratione status et pessimi regiminis ipsius ; et ut hoc citius suum sortiatur effectum, fiant missivae Domino Principi de Chimay, Domino Gubernatori Cuissiae et Ballivo de Hannonia, ut in favorem nostrae sacratissimae religionis omnibus suis Officiariis, Ballivis et Praepositis, praecipiant quatenus manus porrigant adiutrices ad praefatum Ioannem Carlier capiendum.

Item, fiat citatio ad citandum fratrem Arnoldum Carlier ut compareat personaliter coram Domino Praemonstratensi vel Patribus Abbatibus in monasterio Laudunensi, secunda feria post festum Sanctissimi Sacramenti.

Item, ordinat Capitulum praesens quod detur quittancia generalis omnium retroactorum annorum Domino Abbati sancti Mariani [69]) usque ad praesens Capitulum inclusive.

Item, praesens Capitulum remittit Domino Abbati de Ressonio [70]) dimidiam talliam tam dicti monasterii quam monasterii de Marchasio Radulphi pro hoc anno dumtaxat.

Item, Capitulum praesens quittat monasterium Bonifageti de Arreragiis Talliarum Ordini debitarum.

Item, constituit Capitulum praesens in Advocatum Ordinis Magistrum David [31] Chambellan in Curia Parlamenti cum stipendiis consuetis.

Item, Capitulum praesens constituit et recipit in Procuratorem Generalem Ordinis Magistrum Ioannem Mereandean in Curia Parlamenti cum stipendiis consuetis.

Item, annuit Capitulum praesens litteras pro Maria de la Viefuille, in forma communi.

Item, annuit Capitulum praesens litteras orationum Benefactoribus monasteriis Gaudii Vallis.

[69]) Rudolphus de Lannoy. Vide supra, n. 25, p. 190.

[70]) Iohannes de Quenouilles, abbas aa. 1499-1519. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 561.

Item, Capitulum praesens admittit et permittit Praeposito de Langen [71]), Circariae Frisiae, translationem sui monasterii ad aliquem magnum fundum per ipsum praefatum Praepositum emptum et acquisitum praefatae Ecclesiae de Langhen, ratione periculorum quibus in dies patet monasterium praefatum.

Item, Capitulum Generale remittit Domino Floreffiensi [72]) quolibet anno toto tempore vitae suae, quod amodo non solvet pro talliis Ordinis nisi viginti libras Turonenses.

Visitatores anni praesentis.

Hispaniae, Franciae, Normanniae, Angliae, Brabantiae, Floreffiae, Dominus Praemonstratensis reservat pro se.

Pontivi, Flandriae : Dominus Sti Martini Laudunensis [73]).

Lotharingiae, Burgundiae, Sabaudiae : D. Cuissiacensis [74]) et Dominus Salinae Vallis [75]), et quilibet in solidum.

Gasconiae, Casae Dei [76]), provisum est ad triennium.

Bavariae, Ostroonensis [77]), usque ad triennium.

Daciae, Norvegiae : Provisum est usque ad revocationem.

Hungariae, Austriae, Poloniae, Boemiae, Moraviae, Tusciae, Siciliae, Calabriae, Cipri et terrae Ierosolomitanae : Prior Praemonstratensis cum potestate substituendi.

Frisiae : Praepositus de Langhen [78]) et Sti Nicolai de Imberta ad triennium.

Westphaliae : Steynveldensi [79]) et Knestedensi [80]) provisum est.

[71]) Iohannes van Boemel, praepositus aa. 1479-1512. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 206.

[72]) Iohannes Sampeyn. Vide supra, n. 4, p. 173.

[73]) Iohannes Poulaillier. Vide supra, n. 3, p. 175.

[74]) Tugdualdus de Vennes. Vide supra, n. 5, p. 173.

[75]) Iohannes Daniel. Vide supra, n. 37, p. 190.

[76]) Casa Dei = La Case-Dieu, in dioecesi Auxitanensi = Auch, in Gallia hodierna meridionali. Abbas tunc erat Bernardus de la Tour, abbas aa. 1478-1503. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, III, p. 170.

[77]) Agitur de canonia Osterhoviensi, in dioecesi Passaviensi; abbas tunc erat Georgius Hölzl, abbas aa. 1484-1500. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 45.

[78]) Langen, in Frisia Orientali (Germania), in dioecesi Monasteriensi. Praepositus tunc erat Ioannes van Boemel, praepositus aa. 1479-1512. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 206.

[79]) Abbas Steinfeldensis (in dioecesi, nunc Aquisgranensi) tunc erat Iohannes von Düren, abbas aa. 1492-1501. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 195.

[80]) Abbas Knechtstedensis (in dioecesi Coloniensi) tunc erat Nicolaus Hüls, abbas aa. 1496-1507. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 177.

Wadegotiae et Iveldiae : Capellensis [81]) et Praepositus Laurissensis [82]) pro hoc anno.

Item, Capitulum celebrabitur anno futuro, Deo propitiante, in oppido Sancti Quintini.

Auctoritate Dei omnipotentis et sanctae Sedis Apostolicae excommunicamus et a consortio Christianorum sequestramus omnes Canonicos et Conversos nobis subditos proprietatem habentes, Incendiarios et falsarios litterarum Ordinis nostri, Conspiratores, Iusores deciorum, et portantes cultellos acutos ad nocendum et illos qui ad suorum mandata Praelatorum Ecclesias Parochiales quas tenent nolunt resignare.

Item, pro novis emergentibus quibus Capitulum generale commode non poterit exspectari, Capitulum praesens ordinat Dominum Praemonstratensem cum aliis Patribus Abbatibus, quibus authoritatem et facultatem concedit et tribuit pro utilitate et honestate totius Ordinis agenda erunt.

Concordat similiter cum ipsis quae Praemonstrati hac adhuc die [32] vigesima quinta Octobris anni 1661 in Secretaria asservantur in pergameno scriptis sex paginis et media comprehensis, ex quibus copiam hanc posteritati consulens exscripsi, et in fidem subscripsi.

frater Gregorius du Crocq,
Ordinis Praemonstratensis et Secretarius.

116

1500

1. Ex : *ms. Laon 538*, pp. 32-37.

ACTA ET DIFFINITIONES CAPITULI GENERALIS ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS in oppido Sancti Quintini, in Viromandia, anno Domini millesimo quingentesimo, die decima septima mensis Maii et diebus sequentibus.

[81]) Abbas ibidem tunc erat Iohannes Zuttel, abbas aa. 1488-1517. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 135.

[82]) Nomen praepositi, qui tunc domui huic praesidebat, non datur apud N. BACKMUND, *Monasticon*, I, 108.

Nomina Praelatorum in dicto Capitulo comparentium :

Dominus Praemonstratensi [1])
Sancti Martini Laudunensis [2])
Cuissiacensis [3])
Bonae-Spei [4])
Parcensis [5])
Domni-Martini [6])
Sancti Ioannis Ambianensis [7])
Sancti Petri Selincurtensis [8])
de Seriaco in Pratis [9])
Sancti Andreae in Nemore [10])
Sancti Iusti Bellovacensis [11])
de Lucerna [12])
de Ardena [13])
de Bellosanna [14])
Insulae Dei [15])
de Ressonio [16])
de Marchasio Radulphi [17])
Branensis [18])
Vallis-Secretae [19])
Vallis Christianae [20])
Loci-Restaurati [21])
Camerae-Fontis [22])

[1]) Iohannes de l'Escluse, abbas Praemonstrati, aa. 1497-1512. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 529.

[2]) Iohannes le Poulaillier; abbas aa. 1485-1522. Cfr. N. Backmund, l. c., II, p. 512.

[3]) Tugdualdus de Venne; abbas aa. 1479-1505. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 498.

[4]) Nicolaus van Mierdorp; abbas aa. 1495-1510. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 364.

[5]) Arnoldus Weyten; abbas aa. 1494-1515. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 321.

[6]) Balduinus de Hersin; abbas aa. 1499-1517. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 551.

[7]) Thomas de l'Escluse, frater abbatis Praemonstrati. Thomas abbas fuit aa. 1499-1513. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 546.

[8]) Iohannes Fretel; abbas aa. 1500-1524. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 568.

[9]) Iohannes Merlot; abbas aa. 1495-1520. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 571.

[10]) Dionysius Daviau; abbas aa. 1498-1521. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 564.

[11]) Iohannes Cordier; abbas aa. 1487-1502. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 565.

[12]) Richardus de Laval; abbas aa. 1496-1504. Cfr. N. Backmund, o. c., III, p. 28.

[13]) Richardus de Laval; abbas aa. 1496-1507; qui simul per plures annos abbas fuit abbatiae Lucernae. Cfr. N. Backmund, o. c., p. 35.

[14]) Iohannes Boudet; abbas aa. 1499-1519. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 40.

[15]) Gulielmus le Roy; abbas 1500-1504; praedecessor eius, Robertus Méhoult, resignavit durante a. 1500. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 45.

[16]) Iohannes de Quenouilles; abbas aa. 1499-1519. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 561.

[17]) Iohannes de Quenouilles, idem ac abbas Ressonii. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 558.

[18]) Iohannes le Febvre; abbas aa. 1496-1501. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 486.

[19]) Iohannes Michon; abbas aa. 1494-1513. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 537.

[20]) Benedictus de Corbis, ut videtur. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 534.

[21]) Petrus de Haultdecoeur; abbas aa. 1499-1525. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 515.

[22]) Renatus de Fontenay; abbas aa. 1487-1501. Cfr. N. Backmund, o. c., II, p. 489.

Calvi-Montis [23])
Buciliensis [24])
Clari-Fontis [25])
Vallis-Dei [26])
Gaudii-Vallis [27])
de Moncellis [28])
Albae Curiae [29])
de Longo Vado [30])
Viromandensis [31])
Montis sancti Martini [32])
Sancti Foillani [33])
Regiae Vallis [34])
Praepositus de Palide [35])
Thenoliensis [36])

Infrascripti praestiterunt obedientiam :

Abbas Domni-Martini ; Loci Restaurati ; Sti Ioannis Ambianensis ; Mirae-Vallis ; de Bellosanna ; de Lucerna ; Item Praepositus de Palide praestitit obedientiam tam pro se quam pro Praelatis Circariae Saxoniae omnibus.

[23]) Petrus Hayart, uti videtur. Cfr. N. BACKMUND, o. c., II, p. 370.

[24]) Gerardus Ogier; abbas aa. 1494-1500. Cfr. N. BACKMUND, o. c., II, p. 366.

[25]) Iohannes quidam, uti videtur. Cfr. N. BACKMUND, o. c., II, p. 372.

[26]) Iohannes Tolman; abbas aa. 1492 et seqq. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 385.

[27]) Quisnam abbas Gaudii Vallis de facto Capitulo adstiterit, non adeo obvium est. Iuxta C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 739, anno 1499, demortuo abbate Beraldo de la Chaissaigne, Bertrandus de Gugny, canonicus S. Martini Laudunensis, canonice abbas Gaudii Vallis electus fuit; praevalente vero gratia curiali, cedere debuit abbati commendatario Lanceloto du Fau, episcopo Lucionensi.

[28]) Petrus Brunet; abbas aa. 1498-1513. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 517.

[29]) In N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 543, dicitur aa. 1493 - ca. 1507, abbatem Albae Curiae fuisse Petrum Carré, O. Praem., insimul episcopum Arausicanum. Iuxta C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 141, fecisset professionem in Ordine Praemonstratensi. Quod, iudicio BACKMUND, l. c., sustineri nequit. Ita ut admittendum sit illo tempore abbatem commendatarium rexisse abbatiam Albae Curiae. Quisnam ergo de facto, pro illa Abbatia, adfuerit Capitulo Generali, anno 1500, asserere non auderemus.

[30]) Uti videtur: Antonius Charlier. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 391.

[31]) Series completa Abbatum huius monasterii aegre dari potest. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 427.

[32]) Thomas de l'Escluse, frater abbatis generalis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 420.

[33]) Gasparus de Plicinier; abbas aa. 1497-1507. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 397.

[34]) Desiderius de Jouy; abbas aa. 1499-1510. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 98.

[35]) Pöhlde, in dioecesi, nunc, Hildesheimiensi, in Saxonia. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 239.

[36]) Theobaldus, abbas inde ab a. 1499. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 401.

In primis ordinatum est quod omnes Praelati hac vice essent diffinitores.

Item, Missas celebrati consuetas. Primam, Domni-Martini ; 2am Sti Ioannis Ambianensis ; et 3am Mirae-Vallis Monasteriorum Praelati celebrabunt.

Item, Clarifontis et Vallis Christianae monasteriorum Praelati regent Chorum.

Item, talliarum receptores erunt Vallis Christianae et Clari Fontis Abbates.

Item, excusationes Praelatorum recipient Branensis et Bonae-Spei Abbates.

[33] Item, litteras sigillo Capituli Generalis sigillandas examinabunt, et sigillabunt Patres Abbates cum his quos secum voluerint convocare.

Item, computorum Auditores erunt Patres Abbates et ii qui voluerint interesse.

Item, quia anno praeterito Magister David Chambelain ad pensionem Ordinis Parisiis fuerat retentus, et antequam ne quisquam ageret persolutus, nihilominus contra Ordinem et signanter contra Monasterium sancti Ioannis postulare et litigare praesumpsit, ideo Capitulum praesens ab huiusmodi pensione ipsum privavit, et ordinat litteras ad ipsum fore scribendas tenorem praesentis articuli continentes suis litteris responsivas.

Item, super supplicatione facta per Praepositos de Laurissa et Capellensem Visitatores [37]) Circariae de Vadegotia et Iveldia, quibus dolose furati sunt circiter quinquaginta floreni per fratrem Ioannem de Zutphenia, Capitulum praesens remisit eisdem decem florenos occasione furti quod sustulerunt.

Item, Praepositus de Palide [38]) praestitit obedientiam Capitulo Generali pro omnibus Praepositis Circariae Saxoniae.

Item, super supplicatione facta per abbatem Mildeburgensem [39]), videlicet quod favor et auxilium Ordinis sibi impendatur, et ei

[37]) Laurissa seu Lorsch situm erat in dioecesi Moguntina, seu Mainz. Series completa praepositorum huius monasterii non traditur a N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 108; monasterium Capellense, seu Keppel, situm erat in dioecesi, nunc, Paderbornensi. Annis 1487-1509, praepositus ibidem erat Hermannus v. Baack. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 175.

[38]) Vide n. 35, p. 200.

[39]) Middelburg, in Zelandia-Neerlandia. Aa. 1499-1518, abbas erat Petrus van de Capelle. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 311.

adhaerendo appellat ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam de Cardinali de Gursen [40]), ordinat Capitulum quod fiat missiva eidem Abbati Mildeburgensi informando quod Ordinis Procurator, in Urbe se opposuit expeditioni Bullarum et refutationi confirmationis suae Electionis, eo casu quo vellet aliquid in praeiudicium Privilegiorum expedire, appellant ; quam quidem oppositionem et appellationem expedire prosequatur. In qua littera fiat specialis mentio quod mittat infra Capitulum extraordinarium seu propinam gratiosam Domino nostro Reverendissimo concessam.

Item, super querimonia Revmi Domini Abbatis Praemonstratensis super eo quod dictus Abbas Mildeburgensis [41]) dicit se esse ab Ordine exemptum, et quod noluit eum anno praeterito in visitatorem recipere, ordinat praesens Capitulum quod idem Abbas infra Capitulum proxime venturum de exemptionis privilegio docebit ; alioquin tamquam inobediens, ad contumaciam ipsiusque ulteriorem punitionem procedatur prout Iuris fuerit et rationis.

Item, ordinavit Capitulum quod fiat Procuratorium in communi fortuna ad appellandum, si opus fuerit, nomine Capituli Generalis a gravaminibus illatis vel verisimiliter inferendis in causa mota vel promoveri sperata inter novum Abbatem Mildeburgensem et Cardinalem Gursensem, super eo quod nititur dictus Cardinalis monasterium Mildeburgense obtinere in commendam contra Ordinis nostri privilegia ; et hoc expensis monasterii praedicti, quas quidem expensas frater Cornelius eiusdem Monasterii Procurator [34] facere permisit et Ordinem reddere indemnem.

Item, Capitulum praesens renovat Statutum quartae distinctionis, cap. 14, quod mulieres prohibet in claustris et certis monasteriorum locis ingredi aut admitti, prohibendo ne de caetero mulieres sub poena in ipso Statuto contenta, praedicta loca ingrediantur, et desuper expediantur litterae sub sigillo Capituli Generalis omnibus Praelatis illas habere petentibus.

Item, audita querimonia Revmi Patris Domini Praemonstratensis super rebellione Religiosorum Monasterii de Lucerna [42]), Abrincensis dioecesis, praesertim factum Ioannis Pernée, curati de sancto

[40]) Cardinalis iste « se intrusit tamquam commendatarius, anno 1499; sed magna pensione accepta, renuntiavit ». Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 307.

[41]) Cfr. n. 39, p. 201.

[42]) Lucerna, seu La Luzerne sita in dioecesi Constantiensi = Coutances (Gallia occidentalis).

Ioanne-le-Thomas [43]), et beatae Mariae de secreto Fonte et Petri Vinart, curati de Ruffa vetula [44]), qui Iocalia monasterii scilicet calices, cruces, baculum pastoralem, et pretiosa ornamenta, sacrilegium committendo, acceperunt et detinuerunt et adhuc detinent pro parte ; qua de re fuit eisdem per praefatum Revmum Patrem praeceptum et iniunctum quid adimpleverint. Quod si sententiam huiusmodi animo indurato sustinuerint et divinis se immiscuerint, irregulares declarari, et a suis beneficiis privandos esse, et aliis Religiosis conferenda. Praecipiendum ex nunc Abbati et Religiosis dicti Monasterii sub excommunicationis poena, quatenus eosdem et eorum quemlibet tamquam excommunicatum evitare studeant ; et ad executionem praesentis articuli deputat Abbatem de Blanchelanda [45]), cui siquidem commissio brevis sub sigillo Capituli generalis dirigatur.

Item, super querimonia dicti Revmi Patris Domini Praemonstratensi de fratribus Rolandi, Monachi et Iacobo Larquetier, qui thesaurariam monasterii de Lucerna fregerunt, et iocalia furati sunt ; et Michaelis Poisson, qui nitebatur suum Abbatem intoxicare, considerata excessuum quantitate, ordinat Capitulum quod sententia emissionis et poenae gravioris culpae per praefatum Dominum in eos lata, sortiatur effectum, inhibendo sub poena excommunicationis, Abbati et religiosis dicti monasterii et omnibus aliis nostri Ordinis religiosis, ne cui ex dictis religiosis communicent aut eis auxilium, favorem vel alimentum quomodocumque eis impendant, donec et quousque poenitentiam eis iniunctam impleverint.

Item, ordinat Capitulum quod frater Franciscus Maynardesu, Religiosus monasterii de Iardo [46]) propter excessus hactenus [35] per eum perpetratos, de quibus eidem Capitulo tam ex sua confessione quam informatione veridicorum desuper confecta constitit, iuxta Rmi Domini Praemonstratensis sententiam a domo de loco Dei [47]) privabitur prout et privat ; et praeterea emittetur prout et

[43]) St-Jean-le-Thomas erat inter paroecias incorporatas monasterio Lucernae. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, III, p. 26. Cfr. p. 194.

[44]) Ruffa vetula, seu Ruffeville similiter inter paroecias incorporatas Lucernae erat. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, III, p. 26.

[45]) Blanchelande sita erat in eadem dioecesi ac Lucerna.

[46]) Iardum seu Lieu-Dieu-en-Jard sita erat in dioecesi Pictaviensi, nunc Lucionensis = Luçon (Gallia).

[47]) Locus Dei = Locus Dei in Iardo. *Ib.*

emittit eumdem ad monasterium de Retuerta, Retorta [48]) (Palentinensis dioecesis) ad decennium minime reversurum.

Item, ad requestam confratris nostri Sancti Andreae in Nemore [49]) et eiusdem loci Conventus, tractatum quemdam inter eos et Thomam le Clerc initum prout in litteris desuper confectis continetur, confirmat et approbat ; et insuper ad Thomam et eius uxori Stephanae litteras orationum in communi forma emisit.

Item, Capitulum annuit litteras orationum Rdo patri Domino Henrico, Episcopo Cameracensi [50]) in ampliori forma.

Item, Capitulum confirmat concordiam seu tractationem quamdam inter Abbatem et Conventum Branensem [51]) et Canonicos de monte Beatae Mariae initam super reditu quinque modiorum bladi cum dimidio iuxta tenorem litterarum desuper confectarum.

Item, Capitulum praesens remittitit et quittat Abbatem Thenoliensem [51]) usque ad duos annos, quolibet anno pro octo libris, quibus expletis amodo solvet plenam talliam sicut in Registris continetur.

Item, Capitulum confirmat et approbat tractatum inter Abbatem et Conventum de Ressonio [52]) ex una, et fratrem Nicolaum Bade dicti monasterii Religiosum ex altera partibus initum, quemadmodum in litteris desuper confectorum quas vidimus tenorem, confirmat et approbat.

(In Codice, asservato in archivo Curiae Generalitiae Ordinis, Romae, in quo, praeter alia, et Acta huius Capituli Generalis anni 1500 continentur, haec additur decisio capitularis, quae non habetur in Laon ms. 538).

Consimiliter tractatum inter dictum Abbatem et Conventum ex una et Antonium Disquihossite (?) alia partibus initum super traditione domus et taxillos de novo loco iuxta Pratum de Pursche [53]) consitarum quae vidimus confirmat et approbat.

Consimiliter Capitulum annuit litteras orationum pro nobili viro Ferrico scutifero Domino Domont et Franciscae eius uxori fundatore monasterii de Ressonio, in forma communi.

[48]) Retorta, seu Retuerta, in Hispania, dioec. Palencia. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, pp. 279-282.

[49]) Vide supra, n. 10, p. 199.

[50]) Brana, seu St-Yved de Braine. Vide n. 18, p. 199.

[51]) Thenolium, seu Thenailles. Vide n. 36, p. 200.

[52]) Ressonium, seu Ressons. Vide n. 16, p. 199.

[53]) Inter « prioratus » abbatiae Ressoniensis unitos, habetur Ste-Anne-de-Nouveaulieu. Cfr. N. BACKMUND, l. c., p. 560.

Item, super supplicatione per Abbatem Branensem [54]) requirentem quatenus Abbas [36] et Conventus monasterii Vallis-secretae [55]) compellentur ad solvendum Ecclesiae Branensi unum modium bladi annui redditus per Dominum Abbatem et Conventus Vallis-Secretae debiti, ut dixit, super quo Capitulum praesens deputat Dominum Abbatem Sancti Martini Laudunensis [56]) et Cuissiacensem [57]), et eorum quemlibet in solidum ; qui quidem Abbates deputati et eorum alter partes audiat ; et quod iustum fuerit, etiam usque ad diffinitivam sententiam inclusive ordinabunt vel ordinabit, et desuper fiat commissio.

Item, super supplicatione facta per Magistrum Ioannem Guibert requirentem quatenus ipsum Capitulum dignaretur eidem augere terminum locationis cuiusdam domus, quam in Collegio Parisiensi a decem annis citra, titulo locationis tenuit mediantibus rectis reparationibus, quas promisit facere ; praesens Capitulum ordinat Domino Praemonstratensi ad referendum de huiusmodi requesta, et augendum terminum secundum quod expedire videbitur ; cui siquidem Domino de huiusmodi materia authoritatem dat omnimodam.

Item, super supplicatione facta per Dominum Radulphum de Lesugnes presbyterum Revmi Domini Praemonstratensis commensalem propter grata servitia eidem Domino et Ordini impensa ; praesens Capitulum dat et annuit usque ad quatuor annos continuos quorum iste est primus, singulis annis viginti libras Turonenses accipiendas super monasterio Praemonstratensi ; ea tamen conditione, quod, quam cito providebitur eidem de beneficio valente et importante dictam summam, ex tunc solutio praedictarum viginti quinque librarum ; et hoc faciendo, Ecclesiam praedictam Praemonstratensem a praedictis XXV libris quiete remanebit erga Capitulum.

Item, annuit Capitulum litteras orationum pro Benefactoribus Capellae Beatae Mariae de Orna et confraternitatis ibidem institutae.

Consimiliter, pro Ioanne Roubeix ac eius uxore ac liberis eorum ad requestam Abbatis de Longovado [58]).

[54]) Iohannes le Febvre. Cfr. n. 18, p. 199.
[55]) Iohannes Michen. Cfr. n. 19, p. 199.
[56]) Iohannes le Poulaillier. Cfr. n. 2, p. 199.
[57]) Tudualdus de Venne. Cfr. n. 3, p. 199.
[58]) Antonius Charlier, uti videtur. Cfr. n. 30, p. 200.

Visitatores anni praesentis quingentesimi.

Franciae et Brabantiae : Dominus Praemonstratensis [59]).

Lotharingiae, Burgundiae et Sabaudiae : Dominus Cuissiacensis [60]).

Floreffiae, Flandriae, Pontivi : D. Sti Martini Laudunensis [61]).

Angliae, Scotiae, Gasconiae, Hispaniae : Dominus Praemonstratensis.

Frisiae : Praepositus in Langhen [62]).

Westphaliae : Abbas Knestedensis et Arnestedensis, ad tres annos [63]).

Wadegotiae et Iveldiae : Praepositus Laurissensis [64]), ad quatuor annos, assumpto secum, Abbate Ordinis vel canonico litterato.

Hungariae, Austriae, Poloniae, Bohemiae, [37] Moraviae, Tusciae, Siciliae, Calabriae, Cypri, et Terrae Hierosolymitanae : Prior Praemonstratensis, assumpto secum Priore Collegii Parisiensis.

Item, quia super iura beneficii Prioratus de Morangles [65]), inter fratrem Iacobum Gobert, Religiosum sancti Pauli Viromandensis in dicto beneficio ius habere praetendentem ex una et fratrem Petrum de Chemin, religiosum sancti Iusti ex altera partibus, diu extitit in Castelleto litigatum, contra nostri Ordinis statuta veniendo ; ordinat Capitulum, et hoc de consensu partium personaliter comparentium, quod processus initus inter eos supersedebit usque ad proximum Capitulum generale, ad quod quidem qualibet pars, omnia et singula sua munimenta, litteras et instrumenta, de quibus se iuvare intendit, sub poena perditi omnis praetensi iuris in praedicto beneficio. Quae quidem partes in dicto Capitulo comparere et iudicio Capituli Generalis stare promiserunt et per praefatum Capitulum Generale quod iustum fuit ordinabitur.

Item, annuit litteras orationum in communi forma pro Domino

[59]) Iohannes de l'Escluse. Cfr. n. 1, p. 199.

[60]) Tugdualdus de Venne. Cfr. n. 3, p. 199.

[61]) Iohannes le Poulaillier. Cfr. n. 2, p. 199.

[62]) Iohannes van Boemel. Cfr. supra, n. 78, p. 197.

[63]) Abbas in Knechsteden erat tunc Nicolaus Hüls. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 177; abbas in Arnstein erat Adamus von Mantabaur, abbas aa. 1489-1527. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 153.

[64]) Cfr. n. 37, p. 200.

[65]) Prioratus de Morangle pertinebat iuridice ad monasterium Sti Iusti. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, II, p. 564.

Drommel Galus, Domino des prints (?), et Stephanae eius conthorali ad supplicationem venerabilis nostri confratris Abbatis Vallis Christianae [66]).

Item, Capitulum confirmat et approbat tractatum factum inter Abbatem et Conventum Thenoliensem [67]) ex una, et generosa Domina Comitissa de Marla ex altera, super commutatione quorumdam pratorum inter Purelles et Prix, et ius terragii de Bagny, iuxta formam litterarum desuper confectarum.

Item, fiat commissio Praeposito Magdeburgensi [68]) pro visitando monasterio Iveldense [69]) et Capellense [70]) tam in Capite quam in membris, usque ad decennium cum potestate substituendi.

Item, super querimonia Abbatis Mirae-Vallis [71]) conquerentis de fratre Desiderio de Porte, qui per saeculares gravat et in dies gravare nititur praedictum Abbatem occasione pensionis sibi assignatae ; ordinat Capitulum quod authoritate praedicti Capituli fiat inhibitio praedicto fratri Desiderio, antiquo abbati, sub poena excommunicationis et reservatione pensionis sibi authoritate Revmi Patris Domini Praemonstratensis assignatae, ne de caetero conveniat aut in iudicio convocare faciat fratrem Claudium Haucourt, Abbatem modernum praedicti monasterii Mirae Vallis, praeterquam coram nobis Patribus Abbatibus aut Capitulo Generali nostri praedicti Ordinis. Et bona praedicta Ecclesiae per eum occupata et impedita, ipsi Ecclesiae reddat aut reddere faciat indilate.

Concordat similiter cum ipsis quae Praemonstrati hac adhuc die octava Novembris anni 1661 in Secretaria asservantur. Totis in per-

[66]) Benedictus de Corbie. Cfr. n. 20, p. 199.

[67]) Theobaldus. Cfr. n. 36, p. 200.

[68]) Praepositus Magdeburgensis tunc erat Henricus Stott, qui eo munere functus est aa. 1497-1534. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 235.

[69]) Ilfeldense monasterium situm erat in dioecesi, tunc Maguntinensi, nunc, Hildesheimensi. Abbas tunc erat Bernardus Schubuss; abbas aa. 1482-1500. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 129.

[70]) Plura monasteria Germaniae nomen « Cappel » habebant. Agi in praesenti videtur de Spieskappel, in dioecesi, tunc Moguntina, nunc Fuldensi. Abbas tunc erat Iohannes Zuttel; abbas aa. 1488-1517. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 135.

[71]) Miravallis = Mureau, in dioecesi, tunc Tullensi, nunc Sti. Deodati = St-Dié. Abbas tunc erat Stephanus Bazelaire; abbas aa. 1499-1510. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, III, p. 91.

gameno scriptis et sex paginis et dimidia comprehensis, ex quibus copiam hanc posteritati consulens et in fide subscripsi.

Fr. Gregorius du Crocq, Ordinis Praemonstratensis Secretarius ».

Relate ad Capitulum Generale anni 1500, asservatur in Archivo abbatiae Averbodiensis, copia, a notario confecta, documenti capitularis anni 1500 dicti. En, tenor huius scripti capitularis (Arch. Av., IV, 173, fol. 137) :

« 1500, Maii 18.

Iohannes, permissione divina Premonstratensis Abbas et Abbatum eiusdem Ordinis Capitulum Generale, universis et singulis presentes literas visuris et audituris salutem in Domino.

Parum prodest iura condere nisi debite demandentur executioni. Cum itaque intelligamus nostri Ordinis quarte distinctionis capituli decimi quarti, quod mulieres prohibet in claustris et certis monasteriorum quorumlibet locis ingredi et admitti, statutum tam negligenter observari ut exinde in cordibus plurimorum scandala generentur et sacra religio vilipendatur ac adversus nos et diversorum monasteriorum prelatos, fratres et professores populus concitetur et hominum ora laxentur : Nos, quantum in nobis est, huiusmodi malis obviare salutique nobis commissorum providere volentes, statutum antedictum renovamus atque ex abundanti firmiter ab omnibus observandum decernimus ac sub eodem contentis aliisque per nos secundum exigentiam excessuum adiciendis penis universis et singulis monasteriorum nostri Ordinis abbatibus et prelatis, prioribus et officiatis districte precipiendo mandamus quatenus statuta huiusmodi in omnibus et per omnia sic observent ac executioni realiter demandent observationique et executioni demandari faciant et procurent, ne scandalum exinde deinceps generetur, quinimmo quelibet male suspicionis exemplique perniciosi occasio a nobis nostrisque confratribus abbatibus, prelatis et subditis penitus aboleatur et cesset, ne gravioribus morbis graviora remedia necessarium sit adhibere.

Datum in oppido Sancti Quintini, in Viromandia, Noviomensis dioecesis, anno Domini millesimo quingentesimo die decima octava mensis Maij, ibidem sedente nostro Capitulo Generali ».

INDEX LOCORUM ET PERSONARUM

Aachen (Aquisgrana): 96, 136, 163, 166, 197.
Abbecourt (Alba Curia): 125, 175, 176, 200.
Adamus de Crécy: 58, 62, 63, 65, 67.
Adelberg: 112.
I. Aguet: 130, 132, 136, 137, 138.
Alexander III: v.
Alexander IV: 18, 19, 173.
Alexander V: 95.
Albertus Urspergensis: 83.
Allemania: 106, 116.
Alvernia: 116.
I. Ambry: 192.
A. Amelstorfer: 141.
Amiens (Ambianum): 101, 109, 164, 167.
Angers (Andegavum): 198.
Anglia: 3, 4, 63, 64, 67, 70, 81, 82, 141, 170, 197, 207.
Antwerpen: 29, 118.
Aquilar: 156.
Ardenne: 190, 199.
Ardres: 117.
Arnsberg: 8.
Arnstein: 206.
Arras (Atrebatum): 104, 175, 195.
Arthous: 75.
Artois: 104.
S. Aubert: 169.
Auch (Auxitanum): 149, 197.
Audingen: 84.
Augsburg (Augustana): 140.
Augustinus (S.): 15, 36, 90, 133.
Austria: 85, 170, 179, 187, 197, 206.
Auvergne (Alverna): 170, 187.
Auxerre: 58.
Averbode: 11, 17, 61, 67, 101, 114, 126, 127, 144, 165, 181, 191, 208.
Avignon (Avenione): 90.
N. Backmund: VII, 3, 5, 8, 12, 23, 25, 29, 43, 44, 45, 48, 55, 56, 58, 62, 63, 64, 65, 70, 72, 74, 75, 79, 81, 84, 85, 88, 89, 91, 92, 93, 95, 97, 98, 101, 102, 107, 109, 112, 114, 117, 118, 124, 125, 130, 131, 132, 136, 138, 139, 140, 141, 145, 146, 148, 149, 151, 156, 157, 158, 160, 161, 163, 166, 168, 169, 170, 171, 175, 177, 178, 179, 180, 182, 184, 185, 186, 190, 191, 192, 193, 194, 197, 198, 199, 200, 201, 203, 206, 207.
H. Bade: 204.
Ph. Badin: 98.
Bagny: 207.
Fr. Baix: 94, 95.
I. Balduini: 126.
V.-J. Barbier: 24.
M. Barbo: 156.
Barlings: 126.
Bartholomaeus Milov: 179.
Basel: 98, 104, 107, 108, 111, 116.
Bayern (Bavaria): 48, 49, 79, 84, 111, 138, 141, 142, 170, 179, 197.
Bayeux (Baiocum): 190.
H. Bazelaire: 207.
C. Beart: 148.
Beaulieu (Bellus Locus): 190, 191.
Beaurepart (Bellus Reditus): 45.
Beauvais (Bellovacum): 148, 174, 175, 195.
Beeleigh: 3.
België (Belgium): 44, 97, 117, 186.
Belle-Estanette: 194.
Belle-Etoile (Bella Stella): 191.
Bellelay (Bellelagium): 97, 104.
Bellipodium (Bellpuig): 75.
Bellosanne (Bellosanna): 199.
Belval (Bella Vallis): 44.
C. Béraud: 101.

Bernardus (S.): 23.
U. Berlière: VII, 45.
Berne (Berna): 141, 157.
Bethlehem: 193.
C. Bevere: 165, 176.
Binche: 98, 113, 115, 116, 117.
Blanchelande: 81, 209.
Bloemhof: 5.
L. Blomme: 126.
Bohemia: 113, 141, 170, 187, 197, 206.
Bonfay (Bonifagetum): 194.
Bonifacius IX: 95.
Bonne-Espérance (Bona Spes): 98, 113, 115, 116, 117, 159, 161, 173, 174, 176, 189, 199, 201.
S. Bormans: 45.
I. Boudet: 199.
Boulogne-sur-Mer: 117.
Bozen: 83.
Brabant: 112, 142, 151, 160, 170, 172, 197, 206.
Brandeburg: 54.
Breslau: 95, 96, 170.
Bresnev (Hebdow): 92, 93.
Brixen: 85.
Brode: 54.
E. Brouette: 26, 98.
Brugge: 168.
Brun: 55.
I. Brunel: 125.
P. Brunet: 175.
Brussel (Bruxellae): 70, 76, 102, 113, 180.
Bucilly (Bucilium): 174, 182, 190, 192, 200.
Budvice: 179.
I. Buerse: 173, 180, 191.
Burgundia: 116, 170, 187, 197, 206.
Aeg. Buridan: 129.

Calabria: 170,187, 197, 206.
Cambrai (Cameracum): 102, 118, 126, 166, 168, 170, 204.
I. Camervagnon: 188.
Campus Regius (Koningsveld): 144, 148.
I. Canivez: VI.
Capella: 167, 178, 185, 187, 201, 207.
Capitulum Generale 1171: 3-4.
Cap. Gen. 1209: 4-5.
Cap. Gen. 1217: 5-7.
Cap. Gen. 1230: 7-8.
Cap. Gen. 1231: 8.
Cap. Gen. 1232: 8.
Cap. Gen. 1233: 9.
Cap. Gen. 1236: 9.
Cap. Gen. 1239: 11-13.
Cap. Gen. 1240: 13.
Cap. Gen. 1241: 13.
Cap. Gen. 1247: 14-17.
Cap. Gen. 1250: 17.
Cap. Gen. 1251: 18-21.
Cap. Gen. 1260: 22.
Cap. Gen. 1261: 22.
Cap. Gen. 1262: 23-24.
Cap. Gen. 1270: 24.
Cap. Gen. 1271: 24-26.
Cap. Gen. 1273: 26-28; 32.
Cap. Gen. 1279: 25-35; 39.
Cap. Gen. 1280: 36-38.
Cap. Gen. 1283: 38-41.
Cap. Gen. 1284: 41-42.
Cap. Gen. 1285: 42-44.
Cap. Gen. 1288: 44-45.
Cap. Gen. 1289: 45-46.
Cap. Gen. 1290 (?): 46-48.
Cap. Gen. 1291: 48-49.
Cap. Gen. 1292: 49-53.
Cap. Gen. 1293: 53-54.
Cap. Gen. 1294: 54-56.
Cap. Gen. 1297: 56.
Cap. Gen. 1298: 56.
Cap. Gen. 1302: 57.
Cap. Gen. 1305: 58.
Cap. Gen. 1306: 58-59.
Cap. Gen. 1307: 60-61.
Cap. Gen. 1308: 61-62.
Cap. Gen. 1310: 62-63.
Cap. Gen. 1311: 63-65.
Cap. Gen. 1312: 65.
Cap. Gen. 1315: 65-67.
Cap. Gen. 1316: 67-70.
Cap. Gen. 1317: 70.
Cap. Gen. 1319: 70-71.

Cap. Gen. 1320: 71-72.
Cap. Gen. 1321: 72.
Cap. Gen. 1322: 72-75.
Cap. Gen. 1323: 75-76.
Cap. Gen. 1325: 76.
Cap. Gen. 1327: 76.
Cap. Gen. 1328-1334: 77-78.
Cap. Gen. 1331: 78.
Cap. Gen. 1333: 78-79.
Cap. Gen. 1334: 79-80.
Cap. Gen. 1336: 80-82.
Cap. Gen. 1337: 82-85.
Cap. Gen. 1338: 85-86.
Cap. Gen. 1342: 86-87.
Cap. Gen. 1343: 87.
Cap. Gen. 1350: 88-89.
Cap. Gen. 1352: 89-90.
Cap. Gen. 1374: 90.
Cap. Gen. 1375: 91.
Cap. Gen. 1395: 92.
Cap. Gen. 1410: 92-94.
Cap. Gen. 1413: 94-96.
Cap. Gen. 1414: 97.
Cap. Gen. 1422: 97-100.
Cap. Gen. 1428: 101.
Cap. Gen. 1430: 101.
Cap. Gen. 1432: 102-104.
Cap. Gen. 1433: 104.
Cap. Gen. 1434: 104-108.
Cap. Gen. 1437: 108-110.
Cap. Gen. 1438: 110-113.
Cap. Gen. 1440: 113-117.
Cap. Gen. 1442: 117-123.
Cap. Gen. 1443: 123-128.
Cap. Gen. 1445: 128-129.
Cap. Gen. 1446: 130-131.
Cap. Gen. 1451: 131-135.
Cap. Gen. 1452: 135-136.
Cap. Gen. 1453: 137.
Cap. Gen. 1454: 137.
Cap. Gen. 1455: 138.
Cap. Gen. 1460: 138-143.
Cap. Gen. 1461 :143-144.
Cap. Gen. 1464: 144-145.
Cap. Gen. 1467: 145.
Cap. Gen. 1473: 146-147.
Cap. Gen. 1476: 147-148.
Cap. Gen. 1477: 148-150.
Cap. Gen. 1478: 150-151.
Cap. Gen. 1480: 151.
Cap. Gen. 1483: 156.
Cap. Gen. 1484: 156-157.
Cap. Gen. 1486: 157-159.
Cap. Gen. 1487: 160-161.
Cap. Gen. 1490: 161-162.
Cap. Gen. 1492: 163-165.
Cap. Gen. 1495-1496: 165.
Cap. Gen. 1497: 165-171.
Cap. Gen. 1498: 171-188.
Cap. Gen. 1499: 189-198.
Cap. Gen. 1500: 198-208.
Cappenberg (Kappenberg): 89.
I. Caresmar: 75.
I. Carlier: 196.
P. Carré: 200.
Casa Dei (La Chaise-Dieu): 75, 149, 168, 170, 197.
Cartusiani: 88, 89.
Castella: 75.
Cella Dei Superior (Oberzell): 88, 89.
Châlon-sur-Marne (Catalaunum): 169, 175.
D. Chambalan: 201.
Chambre-Fontaine (Camera Fons): 174, 190, 199.
A. Charlier: 174, 196, 200, 205.
Chartres (Carnotum): 111, 114, 124, 125, 175.
Chartreuve (Carthovorum): 169, 175, 176, 190, 191.
Ae. Chatelain: 89.
Chaumont (Calvus Mons): 190, 201.
Cheller: 83.
I. Chesterfield: 63.
Chimay: 196.
Cransperch: 84.
Chur: 140.
Churwalden: 142.
Claire-Fontaine (Clarus Fons): 157, 170, 173, 176, 182, 185, 189, 196, 200.
Clairvaux: 23.
Clarholtz: 141.
Clemens VI: 87.
Ph. Clerici: 184, 195.
Closter: 141.

Cluny: 23.
Chr. Cobant: 94, 95, 96, 98.
Colbeke: 54.
Colonia (Köln): 163, 166, 174, 186.
D. Colonna (card.): 96.
Combalongue (Combalunga): 75.
Compiègne (Compendium): 195.
Concilium Pisanum: 164.
Concilium Tridentinum: IV.
Cono, abb. Praem.: 14.
Conradus, abb. Cuissiacensis: 12.
Conradus, abb. Praem.: 8.
Conradus Scheftlariensis: 183.
Conradus IV Spieser v. Friedberg: 85.
Coppines: 182.
I. Cordier: 174, 190, 199.
Corneux (Cornetum): 38.
A. Cornu: 190.
Coutances: 81, 202.
Coventry: 82.
Cracovia (Krakau): 92.
Croxton (Crohestan): 3.
P. Cuffet: 180.
Cuissy (Cuissiacum): 12, 13, 44, 146, 147, 164, 165, 173, 187, 189, 196, 197, 199, 205.
Cusoy: 192.
Cyprus: 187, 197, 206.

Dachaw: 84.
Dacia: 170, 187, 197.
Dale: 81, 82.
G. Dalendin: 168.
G. Dalemnin: 168.
W. Dalley: 82.
I. Daniel: 190, 194, 197.
D. Daviau: 199.
L. d'Aubusson: 140.
I. de Bachimont: 164.
P. de Bainviller: 101.
Aeg. de Belleiville: 168.
H. de Berges: 166.
G. de Bossu: 169.
I. de Braiketen: 136.
B. de Braine: 102, 118, 130.
I. de Briga: 96.
M. de Bugen: 169.
P. de Buren: 166, 174, 185, 187.
C. R. de Calineto: 169.
H. de Campis: 180.
I. de Châtelet: 104.
I. de Châtillon: 79, 83, 85.
P. de Chemin: 206.
Fr. de Contrisson: 175, 190.
B. de Corbie: 169, 174, 190, 197, 199.
G. W. de Duez: 121.
D. de Emmerye: 181.
R. de Fontenay: 174, 190, 199.
M. Degroult: 71.
B. de Gugny: 300.
de Gurssen, card.: 202.
de Halts, com.: 65.
I. de Hannonia: 129.
I. de Harsillemont: 182.
P. de Haultdecœur: 174, 179.
Fr. de Hausen: 65.
I. de Heronten: 76.
B. de Herson: 199.
D. de Jouy: 175, 190, 200.
B. de la Chassaigne: 200.
S. de Lairuelz: 48, 55, 73, 78, 81, 90, 131.
Ph. de Lalain: 181.
I. de Lannoy: 167, 181, 190.
I. de Lascun: 149.
S. de la Terrière: 138, 144, 145, 146.
R. de la Tour: 167, 197.
R. de Laval: 182, 190, 199.
M. de la Viefuille: 196.
G. de la Volpillière: 190.
E. Delcambre: 48, 81, 131.
I. de la Fère: 108, 110, 111, 112, 114, 116, 117, 124.
Delft: 91, 144, 145.
I. de l'Escail: 158.
I. de l'Escluse: 171, 173, 175, 188, 189, 206, 208.
Th. de l'Escluse: 176, 182, 191, 193, 199, 200.
G. d'Eulx: 158.
R. de Lesuynes: 205.
Fr. de Longpré: 48.
I. de Louviers: 124, 125.
A. de Lummen: 126, 127.
G. de Lutzembourg: 168.

M. de Macharen: 141.
I. de Marle: 102, 105.
P. de Martyrol: 158.
St. de Mes: 185.
C. de Mettes: 181.
B. de Misel: 184.
I. de Moers: 175.
I. de Monbrehoin: 102.
G. de Montesson: 167, 175, 182, 184, 189.
H. de Monthermé: 146, 148, 150, 156, 157, 161, 162, 163, 171, 177, 178, 180.
G. Demportes: 198.
P. de Namur: 182.
H. Denifle: 89.
I. Dennet: 181.
Ae. de Oerlemont: 181.
S. de Perona: 129.
H. de Peuchberg: 65.
S. de Peuchberg: 65.
G. de Plicinier: 174, 185, 189, 200.
D. de Porte: 207.
A. de Poytiers: 181.
L. de Poytiers: 181.
I. de Pratis: 121, 130.
I. de Quenouille: 175, 182, 190, 195, 196, 199.
H. de Rotenkh: 58.
H. de Ruremunda: 126, 127.
M. de Solemine: 184.
I. Despruets: IX, 158.
G. d'Estouteville: 139.
de Scaveta: 140.
de Templon: 136.
I. de Tenailles: 157.
I. de Trazegnies: 158, 160, 161.
G. de Treilx: 158.
A. de Tuyl: 177.
H. de Uarmoise: 169.
H. de Vaudémont: 196.
T. de Vennes: 157, 173, 189, 197, 199, 205, 206.
Th. de Vezel: 124.
G. de Vulturis: 143.
L. de Viridi Valle: 181.
I. De Weerdt: 158, 161, 168.
I. de Welford: 62.
P. de Wercin: 182.
V. de Winger: 65.
S. d'Eyck: 151, 157.
I. de Zutphen: 186, 203.
I. de Zuylre: 126, 127.
P. d'Hermi: 92, 95, 97, 98, 100.
Dietboldus, abb. Osterh.: 23.
Aeg. die Voecht: 165, 171.
Diligem: 57, 180.
Dilo (Dei Locus): 109.
Dionisius (S.): 10, 64, 87.
A. Disquihossite: 203.
Divielle (Deivilla): 75.
Dokkum: 141.
Dominicus (S.): 9.
Dommartin (Domnus Martinus): 108, 110, 199, 200.
Domus Dei: 166.
I. Dongair: 193.
Doue (Doa): 190.
Dover: 3, 82.
I. Dreyringer: 131.
G. Drommel: 207.
Drongen (Trunchinium): 92.
P. du Bargimont: 169.
N. Duchateau: 166.
Gr. du Crocq: VII, VIII, 147, 150, 165, 188, 198, 192.
P. Dufer: 190.
I. du Moulin: 182, 189.
P. du Pont: 130, 136.
M. du Pré: 101, 148.
Durford (Defford): 3.
I. du Vivier: 169.

Eberhardus Laurissensis: 141.
Eberhardus de Reiden: 88.
Eboracum (York): 53, 63.
Ellen: 163.
Emo: 5.
England (Anglia): 141.
A. Erens: 24, 25, 98, 139, 150, 156, 160.
Essen: 75, 163.
Etival (Stivagium): 4.
Eugenius IV: 95, 96, 132.
Europa: 3.
Everardus de Brugghenoye: 89.

Evermodus (S.): 95.
J. Evers: VI, 97, 108, 113, 118, 123, 128, 137, 138.
Evreux (Ebroica): 63, 173.

I. Feret: 195, 196.
I. Fierkens: 139, 140.
K. Fink: 94.
Flandria: 138, 151, 172, 187, 197, 207.
Floreffe: 24, 44, 146, 151, 153, 170, 172, 181, 187, 188, 189, 206, 207.
Floridus Hortus (Bloemhof): 5, 141.
Folkerus: 141.
Fons calidus (Fontcaude): 75.
P. Formentis: 195, 196.
Fosses (B. Hugues de): 24.
I. Fossin: 174, 190, 192.
N. Freich: 13.
France: 116, 117, 149, 170.
Franconie: 48, 131.
A. Franzen: 178.
P. Frayart: 174, 190, 197.
Freiburg i. Br.: 91.
I. Fretel: 199.
E. Friedlander: 161.
Frisia: 5, 56, 111, 141, 161, 170, 172, 187, 190, 197, 206.
Frisingen: 83.
Fulda: 207.
I. Fuchs: 112.
Füssenich: 75, 76.

Gallia: 56, 73, 116, 117, 149.
I. Gambier: 181, 186, 192.
Gascogne: 74, 170, 187, 206.
A. Gasquet: 53, 62, 63, 67.
Gaudii Vallis (Joyenval): 112, 114, 115, 120, 121, 122, 124, 125, 170, 176, 182, 189, 196, 200.
Genlis (Genliacum): 170, 180, 166, 190.
Gent (Gandavum): 92, 181.
Geoffroy: 62.
M. A. Georgel: VIII.
Gerhardus Steinfeld.: 96.
Tr. Gerits: 79.
Germania: 89, 114.
G. Glanys: 158.
I. Gobert: 206.
Godefridus (S.): 89.
J. B. Goetstouwers: 92.
G. Gonet: 158.
L. Goovaerts: VIII, 5, 98, 164, 165.
Gottesgnaden (Gratia Dei): 54.
I. Gourdin: 168, 170.
Gradicium (Hradisch): 55.
Gramzow: 54.
Gregorius IX: 17.
Grimbergen: 161, 190.
Groningen: 141.
I. Grösshaupt: 171.
Gueldria: 193.
Guerricus, abb. Praem.: 24, 25, 39.
I. Guibert: 180, 205.
Guido, abb. Praem.: 38, 43.
Ph. Guignon: 195.
Guillielmus de Louvignies: 53, 54.
Guillielmus, ep. Tullanus: 142.
Guillielmus Paris.: 142.
C. Guymner: 182.

Hainaut (Hannonia): 113, 117, 138, 196.
Hales Owen: 63.
Hamborn: 75, 76, 163.
I. Hanot: 173.
I. Hartlip: 96.
Harlunderberg (Harlungertum): 122.
Cl. Haucourt: 207.
Havelberg: 54.
P. Hayart: 200.
Hebdow: 92, 93.
C. J. Hefele: 137, 138.
Heilissem (Helissemia): 186.
Heinsberg: 8, 136.
Helvetia: 97, 137.
Henricus Cameracensis: 202.
Henricus, abb. S. Mariani: 58.
Herbipolis (Würzburg): 88.
H. Herlin: 156.
Hermannus de Hessen: 178.
I. Heusden: 158.
H. Heijman: 5, 160.
Hildesheim: 207.
St. Hilpisch: 23.
Himmelspforte: 97.

Hispania: 74, 168, 170, 187, 197, 206.
Ph. Hofmeister: 13.
A. Honguant: 191.
Hollandia: 25, 91, 160, 193.
G. Hölzl: 179, 187, 197.
Hortus S. Mariae (Mariengaarde): 141.
L. Hoston: 181, 189, 192.
Houtem S. Gerlaci: 8.
Hradisch (Gradicium): 58.
N. Hüls: 178, 187, 197, 206.
C. L. Hugo: VIII, 4, 6, 8, 9, 13, 23, 24, 55, 58, 65, 75, 88, 92, 97, 98, 102, 122, 131, 136, 137, 138, 141, 148, 163, 165, 179, 200.
Hugo II, abb. Praem.: 3.
Hugo de Fosses (B.): 24.
Hugo de Hirson, abb. Praem.: 12, 13.
Humbertus de Bellelay: 97.
Humbertus de Neuchâtel: 97.
Hungaria: 58, 114, 170, 187, 197, 206.

Ierichow: 54.
Ierusalem: 166, 170, 187, 197, 206.
Ilfeld (Iveldia): 89, 111, 141, 142, 171, 173, 187, 198, 201, 206, 207.
Innocentius IV: 14, 17, 20.
Innsbruck (Oeniponte): 85.
Insula Dei (Ile-Dieu): 173.
Iohannes: 8.
Iohannes Baptista (S.): 49.
Iohannes II, abbas Praem.: 18.
Iohannes d'Estrées: 43.
Iohannes de St-Quentin: 86.
Iohannes le Petit: 88, 89.
Iohannes Pragensis: 93.
Iohannes de Dokkum: 141.
Iohannes de Rocquigny: 22, 23.
Iohannes IV. Wiltinensis: 86.
Iohannes XXII: 77.
Iulius II: 164.

G. Jalandin: 150.
Jandeures (Ianduriae): 175, 190.
A. Janvier: 101, 148.
Jette (Diligem): 57, 180.
N. Joannes: 175, 181, 187.
J. John: 71, 114, 163.
Jovilliers (Iovillaris): 174.
Joyenval (Gaudii Vallis): 111, 114, 115, 120, 121, 122, 124, 125, 175, 176, 182, 189, 196, 200.
I. Juvenel des Ursins: 137.

Kappenberg (Cappenbergia): 89, 166.
P. Kervel: 195.
Kielce: 92.
I. Kimpe: 92.
Kitzingen: 88.
Klosterbruck (Luca): 55.
Klyske: 122.
Knechtsteden: 141, 163, 174, 178, 185, 186, 187, 194, 197, 206.
Kölbigh (Colbeke): 54.
Köln (Colonia): 163, 166, 174, 178.
Koningsveld (Campus Regius): 91, 144, 145.
Krakau (Cracovia): 92.
U. Kuehne: 94.

La Chaise-Dieu (Casa Dei): 149.
La Chapelle (Capella): 167.
D. Laecman: 101, 102, 116.
Lahonce: 75.
La Luzerne (Lucerna):) 194, 195.
Langdon: 62, 64.
Langenmunker: 161, 162.
Langhen: 190, 197, 206.
Langwaden: 186.
Laon (Laudunum): VIII, IX, 43, 44, 56, 78, 95, 146, 148, 157, 182.
M. Larchin: 182.
I. Larquetier: 203.
Lavaldieu (Vallis Dei): 146, 175, 183, 200.
Lavendon: 3.
Ch. Le Clerc: 204.
J. Leclercq: 23, 137, 138.
I. L'Ecuy: 164.
Leeuwarden: 193.
Pl. Lefèvre: 6, 16, 17, 46, 57, 70, 71, 73, 74, 76, 77, 78.
I. Le Febvre: 173, 175, 195, 199, 205.
F. Le Foulon: 148.
S. Le Maistre: 194.
I. Lenoir: 146.
H. Lentze: 28, 29.

Leo X: 168.
I. Lepaige: 59, 71, 72, 74, 75, 86, 87, 91, 132, 164.
N. Le Panetier: 164.
I. Le Pelletier: 179, 190.
Le Perray-Neuf (Perrodium novum): 174, 182, 184, 195.
G. Le Roy: 199.
L'Etanche (Stagnum): 164, 188.
L'Etoile (Stella): 175.
Letzkau (Letzeka): 54.
Leuven (Lovanium): 108, 109, 110, 111, 112, 113, 117, 168.
Lichfeld: 82.
Licques (Liska): 117.
Lidlum: 141.
N. Liebental: 95, 96.
Liège (Leodium): 25, 44, 136.
Lieu-Dieu-en-Jard (Locus Dei in Iardo): 190.
Lieu-Restauré (Locus Restauratus): 12, 13, 157, 174, 199.
L'Ile-Dieu (Insula Dei): 190.
Linz: 179.
Lithuania: 92.
Longwé (Longum Vadum): 174, 189, 200, 201.
London: 61.
Lorraine (Lotharingia): 111, 112, 166, 131, 138, 170, 187, 191, 206.
Lorsch (Laurissa): 141, 166, 171, 185, 187, 201, 206.
Louka (Klosterbruck): 55.
Lounavice: 55.
Ae. L'Ours: 174.
Lübeck: 95.
Luçon (Lucionum): 203.
Ludovicus Neocellensis: 83.
Luxemburg: 4.
Lyeholen (Tupholme): 3.
Lyon (Lugdunum): 14.

B. Mackin: 7, 44.
Magdeburg: 12, 53.
Mainz (Moguntia): 178, 201, 207.
Aeg. Maké: 98.
Maldon (Maduria): 3.
Mantova: 142, 143.
Ph. Marchant: 190.
Marcheroux (Marchasii Radulphi): 185, 182, 190, 196.
Marchtallum (Obermarchtal): 140.
B. V. Maria: 18, 46, 49, 66, 70.
Mariengaarde (Hortus B. Mariae): 141.
Marienweerd (Insula B. Mariae): 141.
P. Martini: 104.
Martinus V: 96.
I. Masselin: 148.
G. Matifas: 182, 190.
F. Maynardieu: 203.
Meaux (Melda): 180, 181.
Mechelen (Mechlinia): 108, 138, 139.
R. Méhoult: 179, 180, 181.
I. Merendean: 196.
I. Merlot: 190, 199.
Mesbrecourt: 181.
Metten: 78, 79.
Metz: 190, 194.
Michelszell: 88.
I. Michon: 174, 175, 179, 205.
Middelburg: 201, 202.
Migne: 23.
Mildenfer (Mildevorde): 54.
Milevsko (Milovicium): 179.
Minor Augia (Weissenau): 114.
Molle: 195.
Moncetz (Moncellum): 169, 175, 180, 200.
Mons Sion: 55, 93.
Mont St-Martin: 102, 103, 175, 200.
Mont-Cornillon: 45.
Mondaye (Mons Dei): 71, 174, 184, 187, 190.
Morangles: 206.
Moravia: 187, 194, 206.
München (Monacum): 65, 72, 80, 83.
Münster: 89, 166.
Mureau (Mira Vallis): 200, 207.
Mussipontum (Pont-à-Mousson): 4, 14, 21, 81.

Namur (Namurcum): 44, 138.
Neerlandia: 56, 160.
Neu (Nerr): 99.
Neustift (Neocella): 83.
Newhouse (Nehus): 3.

Nicolaus Liskensis: 117.
Nicolaus IV: 45.
Ninove (Ninovia): 104, 166, 192.
Norbertus (S.): 24, 53, 132, 178.
Normandie (Normannia): 71, 81, 111, 170, 184, 197.
Norvegia: 170, 187, 197.
Nowy Sacz (Sandeck): 92, 93.
Noyon (Noviomium): 180.

Oberaltaich: 79, 80.
Obermarchtal (Marchtallum): 141.
Oberzell (Cella Dei Superior): 88, 89.
H. Obreen: 91, 144.
Odendorff: 108.
Oelinghausen: 8, 179.
Oeniponte (Innsbruck): 85.
Oesel: 95, 96.
G. Ogier: 174, 182, 190, 200.
N. Olerius: 58, 158.
Olincourt: 101.
Oliverius: 164.
Olmutz (Olomutium): 25.
Oosterhout: 25, 191.
Ordo Cisterciensis: VI, 13.
Ordo Praedicatorum: 9.
Osterhoven: 23, 48, 49, 58, 65, 141, 179, 187, 197.
H. Osterreicher: 170.
J. Oswald: 23.
Otto von Lansdorf: 23.

Paderborn: 179, 201.
Palentia: 204.
Parc (Parcum): 59, 60, 61, 62, 90, 107, 128, 138, 145, 149, 159, 160, 166, 167, 168, 170, 173, 176, 180, 182, 186, 187, 192, 199.
Paris: 66, 89, 99, 114, 115, 118, 119, 120, 163, 164, 180, 182, 191, 193, 201.
Passau: 23, 48, 65, 141, 179.
Perrache: 88.
H. Perrachel: 176.
I. Perree: 194, 202.
Perrodium Novum (Le Perray-neuf): 174, 182, 184.
A. Persoens: 161, 190.
Petrus d'Hermi: 92, 95, 96, 98, 100.
Petrus Venerabilis: 23.
Philippus, dux Burgundiae: 142.
R. Pierre: 195.
I. Pinchon: 178.
Pisa: 98, 99.
Pius II: 139, 142, 151.
Plaga (Schlägl): 179.
Pleineselve (Plena Silva): 75.
O. Poch: 193.
Pöhlde: 54, 200, 201.
M. Poisson: 203.
Poitiers (Pictavium): 203.
Polonia: 92, 141, 166, 170, 197, 206.
Pont-à-Mousson (Mussipontum): 14, 21, 81.
H. Pontac: 158.
Ponthieu (Pontivum): 108, 110, 170, 187, 197, 201.
I. Poulaillier: 157, 173, 187, 189, 205, 206.
Praga: 55, 93, 191.
Prémontré (Praemonstratum): 3, 9, 10, 12, 17, 24, 26, 46, 53, 58, 63, 65, 68, 71, 74, 79, 83, 87, 89, 92, 99, 94, 95, 101, 102, 104, 123, 137, 138, 145, 149, 161, 164, 165, 167, 173, 185, 187, 188,, 189, 191, 197, 198, 202, 203, 206, 207.
Prix: 207.
Prunelle: 207.
Pursche: 204.

Quedlinburg: 54.

I. Ragusinus: 180, 181.
Rasso: 181.
Ratisbone: 58, 79, 80.
Ratzeburg: 54, 95, 96.
D. Raviger: 92.
P. Rayez: 168.
Reims: 44, 137, 146, 174, 175, 190.
Rengéval (Rengis Vallis): 175, 190, 200.
Resson (Ressonium): 148, 175, 184, 195, 196, 199, 204.
Retuerta: 204.
Rheinland (Rhenania): 75, 161.

I. Robyns: 158.
Rode: 54.
L. Rolin: 181.
P. Rodier: 130.
Roma: 95, 96, 139.
Rommersdorf: 141.
Roth: 151, 156.
Rottenburg: 112.
I. Roubeix: 205.
Rouen (Rothomagum): 139, 148.
A. Ruggeler: 95.
Rupertus Adelbergensis: 112.
Russia: 92.
U. Säckler: 140.

Salival (Salina Vallis): 190, 197.
I. Sampeyn: 173, 181, 197.
S. Sampeyn: 181, 188.
Sancta Anna-de-Nouveaulieu: 204.
S. Catharina de Oosterhout: 191.
S. Gertrudis Lovaniensis: 157, 159.
S. Maria Altissiodorensis: 58, 175, 181, 190, 196.
S. Maria in Nemore (Ste Marie-au-Bois): 81.
S. Maria Magdeburgensis: 178, 207.
S. Maria Mussipontana: 4.
S. Radegundis: 64.
Sanctus Andreas in Nemore: 175, 176, 184, 189, 191, 195, 204.
S. Augustinus Leodiensis: 159.
S. Christophorus de Ibeas: 168.
S. Evodius de Brana: 163, 164, 165, 167, 168, 170, 172, 175, 176, 188, 189, 191, 192, 199, 201, 204, 205.
S. Foillanus Rodiensis: 97, 99, 117, 118, 121, 123, 131, 132, 135, 160, 174, 176, 185, 189, 200.
S. Jean-le-Thomas: 194, 203.
S. Iohannes Ambianensis: 101, 148, 167, 175, 176, 177, 185, 189, 199, 201.
S. Iudocus in Nemore: 108, 164.
S. Iustus: 173, 190, 193, 206.
S. Lucius Curiensis: 139.
S. Martinus Laudunensis: VII, VIII, 44, 98, 102, 103, 117, 118, 129, 130, 136, 144, 146, 147, 148, 150, 156, 159, 162, 165, 167, 168, 171, 172, 173, 179, 184, 188, 189, 191, 192, 196, 197, 199, 205, 206.
S. Michael Antverpiensis: 29, 118, 126, 139, 140, 158, 159, 164, 191.
S. Nicolaus de Imberta: 197.
S. Nicolaus Furnensis: 140, 173, 176, 180, 191.
S. Paulus Virdunensis: 131, 138.
S. Petrus Selincurtensis: 167, 176, 181, 182, 190, 191, 199.
S. Vincentius Wratislaviensis: 95, 96, 170.
St-Dié: 207.
St-Quentin: 101, 102, 104, 123, 126, 127, 130, 135, 136, 188, 194, 198, 208.
Sandeck: 92, 93.
I. Santifaller: 95, 96.
Sarothoine: 104.
P. S. Saucy: 97.
C. Saulnier: IX, 4, 5, 35, 37, 38, 45, 48, 55, 56, 57, 58, 60, 65, 66, 70, 87, 91, 105.
Savoie (Sabaudia): 187, 197, 206.
Saxonia: 11, 12, 13, 53, 178, 199, 201.
Sayn: 185.
Schäftlarn: 82, 84.
Schillingskapellen: 178.
Schlägl (Plaga): 179.
Th. Schlegel: 137.
B. Schubuus: 171, 207.
Schussenried (Sorethum): 112, 141, 170, 187.
Schwaben (Suevia): 78, 111, 112, 138, 141, 142, 151, 170.
Scotia: 141, 170, 207.
Selau (Siloe): 193.
I. Senechal: 98, 100, 108, 110.
Sens (Senonia): 109.
Sept-Fontaines-en-Thiérache: 174, 190.
Séry (Seriacum in pratis): 156, 167, 174, 185, 186, 190, 192, 199.
Servatius de Breda: 25, 26.
Sicilia: 197, 206.
Sinus S. Mariae: 179.

Societas Iesu: 92.
Soissons (Suessionum): 44, 102, 137, 138, 146, 170, 174, 175, 179, 190.
Speinshart: 141.
Spieskappel: 178, 207.
Stadew: 54.
Stagnum (L'Etanche): 180.
Statuta 1289: VII.
Statuta 1505: VII.
Statuta 1630: III, IV, VII.
Steinfeld: 141, 163, 166, 176, 174, 178, 185, 186, 187, 197.
Stella (L'étoile): 175, 184.
Stivagium (Etival): 4.
H. Stott: 178, 207.
Strahow: 55.
Strich: 141.
Sulby (Wilfold): 3, 62.
H. Szanto: 78.

C. Taiée: 3, 8, 12, 14, 18, 22, 24, 29, 38, 53, 88, 92, 95, 102, 108, 130, 131, 132, 137, 138, 164, 192.
Tarnow: 92.
I. Tardy: 131, 138.
Tasleben: 53.
Tchecho-Slovakia: 179, 193.
G. Tellenbach: 94.
Temenitz: 54.
O. Terlinck: 118, 126.
Theibaldus: 200.
Thenailles (Thenolium): 174, 176, 190, 192, 200, 204, 207.
Thérouanne: 117.
Thomas a Lech: 63.
Tillemannus: 88.
Tjalling: 141.
I. Tolman: 175, 200.
Tongerlo: 56, 59, 65, 70, 98, 99, 139, 191, 192.
Toul (Tullae): 139, 142, 207.
Toulouse (Tolosa): 167.
I. Touppet: 111, 114, 115, 120, 121, 122, 124, 125.
Tournai (Tornacum): 92, 168.
I. Traburgnier: 180.
Trier (Trevirae): 141, 186.
Trunchinium (Drongen): 82.
Tückelhausen: 88, 89.
Tupholme: 3.
Tuscia: 170, 187, 197, 206.

Udalricus Plagensis: 179.
Ulreesheim (Flasheim): 196.
Ulricus (Oberaltaich): 79, 80.
Ulricus (Osterhoviensis): 58, 65.
Urbanus V: 89, 90.
Urdax: 75.
Ursberg: 14, 84, 112, 140, 141.
Utrecht (Ultraiectum): 91, 141, 177.

A. Vacant: VIII.
I. Vairet: 98.
Val chrétien (Vallis christiana): 169, 174, 190, 191, 192, 201, 207.
Valenciennes: 102, 104.
Vallis Dei (Lavaldieu): 146, 171.
Vallis S. Catharinae: 25.
Val secret (Vallis secreta): 175.
Valséry (Vallis serena): 175.
E. Valvekens: VIII, IX, 78, 152, 164, 171.
J. B. Valvekens: 5, 137.
Th. Van Andel: 98, 100.
W. Van Beringen: 107.
Aeg. Van Biervliet: 28, 39.
I. Van Boemel: 161, 162, 190, 197, 206.
I. Van Braedbeck: 141.
L. Van Coudenberghe: 180.
P. Van de Capelle: 201.
G. Van den Broeck: IV, V.
B. Van den Valgaet: 191.
B. Van de Pardeke: 192.
I. Van der Achter: 56, 59, 65, 70.
A. Vanderdonck: 140.
I. Van Elsacker: 192.
H. Van Gassen: 104.
V. Van Genechten: 101, 102, 104.
G. Van Goetsenhoven: 107.
N. Van Mierdorp: 151, 157, 161, 173, 180, 189.
Th. Van Tuldel: 139, 140, 150, 156, 157, 160, 161.
R. Van Waefelghem: V, 151, 185.
Verdun (Virudunum): 174, 175.

Vermand (Viromandium): 174, 177, 179, 189, 200, 206.
Versailles: 114, 125, 175, 189.
Veurne: 181.
Veruna (Fernac): 140.
Vic-Ferensac: 149.
Vicogne (Viconia): 102, 157, 158, 173, 181, 189, 191, 192.
B. Villari: 112.
P. Vinart: 203.
Vladislaus, rex: 92.
M. Vögle: 48.
I. von Düren: 197.
G. von Heze: 163, 174, 185.
U. von Holzheim: 58.
A. von Montaubar: 206.
I. von Rheinberg: 186.

Wadgassen (Wadegotia): 89, 111, 131, 141, 142, 171, 178, 185, 193, 197, 201, 206.
Wadlericus (Ulricus) Plagensis: 179.
Walterus de Orbais: 24.
R. Wauters: 166, 182.
L. Weiland: 6, 7.
Weinsbach: 179.
Weissenau (Minor Augia): 111.
A. Weissthanner: 82.
Welbeck: 3, 53, 63.
Wenau: 163.
Wenceslaus Wratislaviensis: 96.
Werna: 76.
Wesel (Wesalia): 166.
Westphalia: 8, 89, 111, 141, 166, 172, 178, 186, 187, 193, 197, 206.
A. Weyten: 170, 173, 182, 187, 191, 199.
Wilford (Sulby): 3.
Wilhelmus Parisiensis: 11.
Wilhelmus Urspergensis: 112, 113.
Wilten (Wiltina): 85.
Windberg: 49, 79, 80.
I. Winckel: 181.
Fr. Winter: 9, 11, 53.
Wittewierum: 5.
Worchester: 63.
Wouw: 24, 25.
Wratislavia (Breslau): 95, 96, 170.
Würzburg (Herbipolis): 88.

York (Eboracum): 53, 63.

Zabrdovice: 55.
A. Zak: 95.
Zelandia: 138, 201.
Zeliv (Siloe): 193.
Zennewijnen: 177.
A. Zuttel: 178, 186, 187, 195, 207.

INDEX RERUM

Cum Capitulorum generalium in hoc tomo editorum, tribus ultimis exceptis, solummodo fragmenta valde deficientia habeamus, censuimus indicem rerum in his fragmentis contentarum nonnisi substantialem praeberi posse. Res. de quibus in istis fragmentis, indicatae ac tractatae nullo modo conspectum quodammodo integrum vitae ac gubernii Ordinis constituunt. Ad hoc multo pleniorem aspectum praebent Statuta antiqua ac Coeremoniarum Ordinarius.

Index iste, quem subiungimus, erit proinde brevis; de casibus emergentibus particularibus in Capitulis tractatis, et qui in nonnullis fragmentis hic editis tanguntur consulto abstinuimus in hoc Indice rerum. Ea quae in Capitulis generalibus annorum 1498, 1499 et 1500 tractantur brevi post in Statutis novis anni 1505 synthetice et authentice elaborata fuerunt. Cfr. E. VALVEKENS, *Le Chapitre Général de Prémontré et les nouveaux Statuts de 1505*, in *Anal. Praem.*, XIV, 1938, pp. 53-95; *Textes relatifs à la réforme des statuts prémontrés en 1505*: *ib.*, XV, 1939, pp. 25-41.

Abbates (Praelati): Subditos suos debite corrigant: Cap. Gen. 1279, p. 29 s.; locationes ne faciant absque licentia Patris-Abbatis: Cap. Gen. 1280, p. 36. — Luxum externum ne foveant: Cap. Gen. 1280, p. 37. — Abbatis cedentis pensio determinetur et servetur: Cap. Gen. 1284, p. 41 s. — Subditis suis oboedientiam servandam imponere valent: Cap. Gen. 1322, p. 72. — Determinantur Patres-Abbates pro domibus Circariae Hungaricae: Cap. Gen. 1294, pp. 55 s. — Ea quae a Statutis et Capitulis Generalibus determinantur de administratione bonorum ad amussim servent: Cap. Gen. 1331, p. 78.

Capitulum Generale: Abbates Angliae singulis annis duos Abbates mittere debent ad Capitulum, per turnos: Cap. Gen. 1175, pp. 3-4. — Abbatum Saxoniae unus singulis trienniis Capitulo generali assistet: Cap. Gen. 1239, p. 12; Cap. Gen. 1241, p. 13. — Abbates Gasconiae singulis tertiis annis Capitulum Gen. adire debent: Cap. Gen. 1322, p. 74 s. — Abbates impediti Priorem suum ad Capitulum mittant: Cap. Gen. 1343, p. 87; ea quae in Capitulo statuuntur a Visitatoribus promulgentur: Cap. Gen. 1279, p. 34. — A propriis Abbatibus statim religiosis suis communicabuntur: Cap. Gen. 1302, p. 57; Cap. Gen. 1325, p. 76. — Forma iuxta quam Capitula celebrari debent statutum est Cap. Gen. 1217, p. 5-7. — Capitulum Generale per tres dies absolvetur: Cap. Gen. 1236, p. 10. — Capitulum per plura decennia inchoatum in festo S. Dionysii (9 octobris), postea inchoatum est Dominica quarta post festum Paschatis: Cap. Gen. 1464, p. 144 s.

Cibus. 1. *Abstinentia a carne*. Abstinentia ista stricte retineatur; Abbates aliam praxim permittentes puniantur: Cap. Gen. 1245, p. 14; Cap. Gen. 1292, p. 49. — Infirmi tamen carnes comedere possunt: Cap. Gen. 1250, p. 17;

Cap. Gen. 1279, p. 32. — In itinere constituti comedere possunt ea quae ipsis apponuntur: Cap. Gen. 1289, p. 45. — Usus carnium relinquitur arbitrio Praelatorum: Cap. Gen. 1298, p. 56. — Carnes durante Adventu prohibitae manent: Cap. Gen. 1308, p. 61. — Rogetur S. Sedes ut deinceps licitum sit in Ordine carnes manducare, exceptis diebus quartis et sabbatis, ac diebus Adventus et a Septuagesima usque ad festum Paschatis: Cap. Gen. 1460, p. 140; Cap. Gen. 1499, p. 1992. — 2. *Ieiunium*. Qualibet feria sexta ieiunetur in Ordine: Cap. Gen. 1273, p. 26 s. — In Adventu ieiunium servetur: Cap. Gen. 1279, p. 39; Cap. Gen. 1346, p. 86 s. — In Vigilia festi SS. Sacramenti ieiunetur: Cap. Gen. 1315, p. 65 s., sicut in vigiliis praecipuorum festorum B. Mariae Virginis: Cap. Gen. 1315, p. 66. — Oves ac casei tempore ieiunii praeberi possunt: Cap. Gen. 1292, p. 5 s.

Collegium Ordinis Parisiense. Adiutorium huic Collegio a toto Ordine concedatur: Cap. Gen. 1442, p. 118-121. — Praeses huius Collegii a Capitulo designatur: Cap. Gen. 1492, p. 163-165.

Concilia. Mittuntur delegati Ordinis ad Concilium Basileense: Cap. Gen. 1422, pp. 97-100. — Ad Concilium provinciale Suessionense mittuntur delegati: Cap. Gen. 1454, p. 137.

Confoederatio precum. Cum Ordine ff. Praedicatorum: Cap. Gen. 1233, p. 9 s. — Cum abbatia Ordinis S. Benedicti in Metten: Cap. Gen. 1333, p. 78 s.; cum abbatia O. S. B. in Oberaltaich: Cap. Gen. 1334, p. 79 s.

Electiones. Personae saeculares ad electiones in Ordine non admittentur. Cap. Gen. 1279, p. 30 s.; Cap. Gen. 1292, p. 50. — Litterae Ordini extraneorum ne exquirantur pro electionibus: Cap. Gen. 1292, p. 52. — Voce privati, electioni interesse non possunt, nisi cum consensu Conventus: Cap. Gen. 1279, p. 52. — Electiones fiant vel per viam inspirationis divinae, vel per compromissum: Cap. Gen. 1308, p. 59.

Liturgica. Campanarum pulsatio: Cap. Gen. 1236, p. 11. — Festum Omnium Sanctorum cum Octava celebretur: Cap. Gen. 1236, p. 11. — Dicatur, post prandium et coenam, « Pater noster » pro benefactoribus: Cap. Gen. 1236, p. 11. — Antiphonae quinque dicantur in festo Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis: Cap. Gen. 1250-1290: p. 17. — Permittuntur albae ornatae: Cap. Gen. 1250-60, p. 18. — Varia determinantur de officio B. Mariae Virginis: Cap. Gen. 1256, p. 11 s. — Hymnus « O Lux, beata Trinitas » usque ad Adventum cantandus: Cap. Gen. 1279, p. 33. — Ritus Matutinarum in festis 3 Lectionum: Cap. Gen. 1279, p. 34. — Commemoratio Angelorum: Cap. Gen. 1279, p. 36. — Antiphona « Da Pacem » quando adhibenda: Cap. Gen. 1279, p. 34. — Translatio S. P. Augustini cum Octava celebretur: Cap. Gen. 1279, p. 36. — Missa de Beata vel pro defunctis: Cap. Gen. 1280, p. 37. — Varia cantanda in honorem B. Mariae Virginis: Cap. Gen. 1290, p. 46 s.; 1292, p. 49. — De commemoratione S. Iohannis Baptistae et SS. Petri et Pauli: Cap. Gen. 1283, p. 39 s. — Festa Conceptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis celebrentur: Cap. Gen. 1317, p. 70; Cap. Gen. 1320, p. 71. — Festum SS. Sacramenti cum Octava celebretur: Cap. Gen. 1322, p. 73 s. — Praxis recitationis « Angelus » retineatur: Cap.

Gen. 1327, p. 76. — Uniformitas Liturgiae in Ordine servetur: Cap. Gen. 1328-1334, p. 77 s.

S. Missae Sacrificium. Bis saltem in hebdomada S. Missa offeretur: Cap. Gen. 1273, p. 26. — Quod decretum abrogatur in Cap. Gen. 1279, p. 31 s.

Novitii admittendi. Admittendi sufficienter instructi sint: Cap. Gen. 1260, p. 22. — Illegitimi ne admittantur: Cap. Gen. 1279, p. 32; 1292, p. 51. — Professi in altero Ordine non admittentur: Cap. Gen. 1292, p. 52. — Ob nimiam penuriam, per unum annum nemo admittatur: Cap. Gen. 1307, p. 60.

Parochi. Dissoluti ad monasterium revocentur: Cap. Gen. 1273, p. 28. — Computum Visitatoribus reddant: Cap. Gen. 1283, p. 38. — Designatus ad curam cuius Ordo habet ius patronatus, ne renuat illam paroeciam adire: Cap. Gen. 1307, p. 60; Cap. Gen. 1323, p. 75. — Parochi paroeciam resignare debent, Abbate sic ordinante: Cap. Gen. 1315, p. 66; Cap. Gen. 1322, p. 73; Cap. Gen. 1336, p. 80 s.; Cap. Gen. 1375, 91. — Hoc ante inceptum ministerium iurare debent: Cap. Gen. 1374, p. 90.

Poenae. Conquerentes de poena sibi inflicta puniantur: Cap. Gen. 1294, p. 54 s. — In casu excommunicationis, species ac causa poenae indicari debent: Cap. Gen. 1283, p. 40. — Apostatis poenae infligendae sunt: Cap. Gen. 1269, p. 4 s.; Cap. Gen. 1286, p. 43; Cap. Gen. 1308, p. 59. — Diffamatores puniendi sunt: Cap. Gen. 1273, p. 27; Cap. Gen. 1279, p. 30, 31, 35. — Frustratorie appellantes puniantur: Cap. Gen. 1283, p. 41; Modus determinatur quo appellantes puniendi sint: Cap. Gen. 1291, p. 48.

Privilegia. Haec ab Ordine defendi et retineri debent: Cap. Gen. 1250, p. 17; Cap. Gen. 1289, p. 27. — Osterhovienses contra Episcopum privilegia sua vindicantes ab Ordine sustinentur: Cap. Gen. 1267, p. 23 s.

Reformatio generalis. Haec praescribitur: Cap. Gen. 1451: pp. 132-135; modus eius discutitur: Cap. Gen. 1460, pp. 138-143; Cap. Gen. 1481, pp. 152-155; Cap. Gen. 1498, pp. 171-173.

Sacramentum Poenitentiae. Sodales Ordinis ter per annum Abbati peccata sua confiteantur: Cap. Gen. 1240, p. 13. — Confessio sacramentalis fieri debet confessariis a Praelato approbatis: Cap. Gen. 1273, p. 27.

Sancta Sedes. A Capitulo Generali a. 1460, mittitur Procurator Van Tuldel, p. 139 s.; a Capitulo Gen. 1460, Romam mittitur abbas Ninoviensis, p. 192.

Silentium. Stricte servetur: Cap. Gen. 1251, p. 18; illud frangentes puniantur: Cap. Gen. 1279, p. 33; Cap. Gen. 1280, p. 36.

Sorores Ordinis. Praepositum sibi eligere possunt: Cap. Gen. 1231, p. 8. — Moniales in Ordine supprimantur: Cap. Gen. 1270, p. 24; Cap. Gen. 1279, p. 30. — Moniales de Wouw Ordini aggregantur: Cap. Gen. 1271, pp. 24-26. — Viri saeculares, vel religiosi alterius Ordinis ne apud eas ingrediantur: Cap. Gen. 1307, p. 61. — Praepositi in conventibus Sorrorum admittere non valent candidatos canonicos: Cap. Gen. 1321, p. 72.

Statuta. Nova parentur Statuta: Cap. Gen. 1481, pp. 152-155.

Talliae. Non solventes illas, puniantur: Cap. Gen. 1283, p. 40 s. — Etiam ab abbatibus Angliae solvi debent: Cap. Gen. 1310, p. 62 s.; Cap. Gen. 1311, p. 63-65. — Singulis annis solvi debent: Cap. Gen. 1320, p. 71. — A delegatis Ordinis colligantur: Cap. Gen. 1437, pp. 108-110; Cap. Gen. 1438, p. 110. — Talliae exiguntur: Cap. Gen. 1442, p. 117. — Talliae praescribuntur pro abbatia Praemonstratensi diruta: Cap. Gen. 1445, pp. 128-129; et depauperata: Cap. Gen. 1473, pp. 146-147; Cap. Gen. 1477, p. 150.

Vestitus. Forma scapularium determinatur: Cap. Gen. 1306, p. 58 s. — Vestitus Parochorum Ordinis: Cap. Gen. 1336, p. 81. — Vestitus communis in Ordine retineatur: Cap. Gen. 1434, pp. 105-108. — Vestiarius constituatur: Cap. Gen. 1481, p. 152. — Determinatur Conversorum habitus: Cap. Gen. 1230, p. 7 s. — De eorum caputiis et barbis: Cap. Gen. 1280, p. 37.

Visitatores. Qui illos admittere recusant puniantur: Cap. Gen. 1279, p. 31; Cap. Gen. 1292, p. 50. — Secreta Ordinis ne revelent visitatores: Cap. Gen. 1279, p. 33. — In actu visitationis quoslibet a munere deponere possunt: Cap. Gen. 1286, p. 42. — Nonnisi semel per annum visitationem instituere possunt: Cap. Gen. 1286, p. 42. — Moderata sint eorum stipendia: Cap. Gen. 1292, p. 51. — Etiam in Anglia visitationes fieri debent: Cap. Gen. 1316, pp. 67-70. — Visitator pro pluribus Circariis designari potest: Cap. Gen. 1437, pp. 111-113; Cap. Gen. 1440, pp. 113-117; Cap. Gen. 1442, pp. 122-123; Cap. Gen. 1443, pp. 124-126; pp. 126-128. — Varii visitatores, etiam non-abbates, designantur: Cap. Gen. 1486, pp. 157-159.

Vita communis. Votum paupertatis servetur: Cap. Gen. 1480, p. 151. — Proprietarii severe puniantur: Cap. Gen. 1247, pp. 14-17. — Vita communis sectanda et proprietas personalis vitanda: Cap. Gen. 1261, pp. 18-23; Cap. Gen. 1451, pp. 131-132. — Spoliatores puniendi sunt: Cap. Gen. 1279, p. 32, 35; Cap. Gen. 1293, p. 39.

Leuven. — Drukkerij E. Warny, Vesaliusstraat, 2.

691389

13. DEZ. 1978

8. JULI 1979

-5. OKT. 1979

11. OKT. 1979

14. OKT. 1980

28. 11. 80

- 1. SEP. 1981

24. NOV. 1981